IESVS
VIR DOLORVM
MARIÆ
MATRIS DOLOROSÆ
FILIVS.

AVCTORE
GVILIELMO GVMPPENBERG,
è Societate IESV.







Cum facultate Superiorum & Privilegio.

MONACHII,
Typis Sebastiani Rauch. M. DC. LXXII.
Sumptibus JOANNIS HERMANNI à Gelder, Bibliopolæ Electoralis.



DEDICATIO.



DOMINA. Venit olim in manus meas imago tua, æri incisa, illi simillima, quæ in Cæsar-Augustano Societatis JESV Collegio asservatur: quam S. P. Noster Ignatius à primo suæ Conversionis die usque ad senium in pectore semper gestabat ad COR; per illam se à DEO ubique miris modis adjutum testatus: qua de causa vocata est S. MARIA à CORDE. Hanc Opusculo, quod de tuis doloribus conscripsi, præfigere placuit, tèque summis rogare precibus, ut Lectori de corde & ad cor loqui, & dolorum tuorum suavem communicare sensum digneris: quo per ordinatam & consuetam ascesin disponatur, & gaudiisquoque tuis congaudere possit. Ita fructus noster erit, gloria tua.

LECTORI BENEVOLO.



SUſcipe, benevole Lector, Opuſculum hoc, in quod multorum annorum longas & bene ruminatas cogitationes meas brevibus verbis coarctavi. Quæ de Terra Sancta rara, & vulgò non obvia affero, ea accepi ex Adrichomio, Bredenbachio, Villamontio, Claromontio, Buchero, & Quareſmio: quorum tres ultimi è S. Franciſci familia ſunt, & Hieroſolymis habitârunt. In his omnia, quæ ſcripſi de Terra Sancta, invenientur. Potuiſſem plura afferre ex peregrinationibus plurimis, quas legi linguâ Germanicâ, Italicâ, Gallicâ, & Manuſcriptis. Abſtinui; at vel pertinaci, cùm opus fuerit, rationem reddere poſſū ex ijs Auctoribus, quos publici juris typus fecit. Fruere itaque, optime Lector, his meis cogitationibus, quibus tibi non tam placere, quàm prodeſſe ſtudui. Et ſi inde melior factus fueris, Matri doloroſæ gratias age, quæ mihi eas horis ſubſecivis ſuppeditavit.

FACVL-


FACULTAS
R. P. PROVINCIALIS.

*Um liber, cujus titulus est, IESVS VIR DOLORVM MARIAE MATRIS DOLOROSAE FILIVS, à P. Guilielmo Gumppenberg, Societatis nostræ Sacerdote conscriptus, à deputatis Patribus lectus probatúsque sit; Ego Georgius Muglinus Societatis IESV per Superiorem Germaniam Præpositus Provincialis, potestate ad id à P. N. Ioanne Paulo Olivâ, ejusdem Societatis Præposito Generali mihi concessa, eum Typis in lucem vulgari permitto. In cujus rei fidem has chirographo meo & consueto officij Sigillo munitas dedi. Monachij 18. Maij. 1671.*

GEORGIVS MVGLINVS.

PRI-

PRIVILEGIVM.



GO GEORGIVS MVGLINVS SOCIETATIS IESV per superiorem Germaniam Præpositus Provincialis, pro potestate à Patre nostro Ioanne Paulo Oliva universæ Societatis Præposito Generali acceptâ, Hermanno à Gelder Bibliopolæ Electorali, circa librum, cui titulus est, IESVS VIR DOLORVM, à P. Guilielmo Gumppenberg Societatis nostræ Sacerdote compositum, concedo ad sex annos Ius Cæsarei Privilegij usurpandi, quo Typographis & Bibliopolis omnibus facultas adimitur, vulgatos à Societatis IESV Patribus libros, sine Superiorum consensu, imprimendi, recudendi, aut intra fines S. R. Imperij importandi, & importatos distrahendi. Datam facultatem chirographo meo & officij sigillo munivi. Friburgi Helvetiorum 24. Iulij 1672.

L S.

GEORGIVS MVGLINVS.

PARS





PARS I.

PASSIO D.N. JESU CHRISTI NOCTVRNA.

LIBER I.

PASSIO D. N. IESV CHRISTI. EXTRA URBEM.

VIA I.
In Montem Oliveti.

STATIO I. Locus Orationis.
Considerationes.
1. Verba Christi.
2. Hortus.
3. Tristitia.
4. Oratio.
5. Sudor.
6. Angelus.
7. Calix.

STATIO II. Locus trium Discipulorum.
Considerationes.
Discipuli Dormientes.

STATIO III. Locus Comprehensionis.
Consideratio.
1. Verba Christi.
2. Verba B. V.
3. Argentei.
4. Judas.
5. Ego sum.
6. Judæ osculum.
7. Captura.
8. Petrus gladiatus.
9. Petrus à longè.
10. Malchus.

VIA II.
In Vallem Josaphat.

STATIO I. Locus octo Discipulorum.
Consideratio.
Discipuli fugientes.


STATIO II. Locus torrentis Cedron.
Consideratio.
JESUS Torrentem transiens.

LIBER

LIBER II.

PASSIO D. N. IESV CHRISTI.

INTRA URBEM.



PARS

PARS II.

PASSIO D. N. JESV CHRISTI DIVRNA.

LIBER I.

PASSIO D. N. IESV CHRISTI. INTRA URBEM.

VIA VI.
Ad Viam Crucis.




LIBER

LIBER II.

PASSIO D. N. IESV CHRISTI.

EXTRA URBEM.



LECTORI.

SI quem hic liber lectorem fortè nanciſcatur, rogandus is mihi eſt, ut, priusquam ulteriùs pergat, dignetur ex me intelligere tria,

1. Operis occaſionem primam.
2. Operis partitionem.
3. Operis Prolegomena.

I. OCCASIO.

Occaſionem operi huic ſcribendo dedere verba B. V. in Revelationibus S. Brigittæ.

L. 4. c. 101. Ad perveniendum ad cor DEI ſunt duæ viæ. Prima eſt humilitas veræ contritionis: & hoc inducit hominem in cor DEI & in colloquium ſpirituale. Secunda via eſt conſideratio Paſſionis Filij mei, quæ removet duritiam à corde hominis, & facit currere gaudenter ad cor DEI.

L. 1. c. 27. Quicunq; eſt in mundo, conſideret, qualis eram in morte Filij mei, & ſemper habeat præ oculis.

L. 6. c. 61. Omni tempore, quod poſt Reſurrectionem Filij mei vixi, viſitavi loca, in quibus ipſe paſſus eſt, & mirabilia ſua oſtendit. Sic quoque Paſſio ſua in corde meo fixa erat, quòd, ſive comedebam, ſive laborabam, quaſi recens erat in memoria mea: ſic etiam ſenſus mei abſtracti erant à mundialibus, quòd jugiter quaſi novis deſideriis inflammabar, viciſsímque doloribus excitabar. Veruntamen ſic dolorem temperabam & gaudium meum, quòd nihil omittebam de his, quæ erant DEI.

II. PARTITIO.

Dividam Matris doloroſæ triſtiſſimas ambulationes in partes duas. Prima erit de Paſſione Chriſti nocturna: ſecunda de Paſſione Chriſti diurna. Utramque ex iſtis partibus dividam in libros

duos, secundùm ea, quæ intra vel extra urbem contigerunt: ita ut primæ partis seu nocturnæ liber primus sit de his, quæ contigerunt noctu extra urbem: secundus de his, quæ contigerunt noctu intra urbem. Partis verò secundæ liber primus, seu in ordine tertius, de his, quæ contigerunt de die intra urbem: alter seu quartus de his, quæ contigerunt de die extra urbem. Atque his quatuor libris tristissimas Matris dolorosę ambulationes persequar, sic ut quovis in libro ponam vias, per quas Mater dolorosa ivit, vel certè ire potuit. In ipsis viis ponam unam vel plures stationes: atque in his ipsis stationibus unum vel plura cum Matre dolorosa considerandi argumenta, adjunctis ubique locorum descriptionibus; prout ex probatis Auctoribus habere potui.

III. PROLEGOMENA.

MIrum quantum conferat ad Passionem Christi considerandam aliqua Terræ sanctæ cognitio. Mens hîc non est, antiquitates terræ sanctæ Christum & B. Virginem concernentes, velut gemmas unà cum utriusque reliquiis per orbem colligere, (quamquam & huic quoque operi, cujus fundamenta quædam jacta sunt, dabit Deus, ut spero, tempus) sed tantùm rudem quampiam cognitionem dare, veram quidem & è probis Auctoribus acceptam, non tamen accuratissimam, cui nihil omnino desit; talem tamen, in qua pius lector, quantum ad meditationem Passionis Christi pertinet, non multum desiderare debeat. Dicam itaque

1. De Terra sancta.
2. De Hierosolyma.
3. De templo Salomonis, ut olim fuit.
4. De templo Salomonis, ut nunc est.
5. De antiquitatibus quibusdam Terræ sanctæ, quæ etiamnum extant.

I. TERRA SANCTA.

TErra sancta habet quatuor partes, Judæam, Samariam, Galilæam, Palæstinam. Judæa comprehendit Hierosolymam, Hebron, Jericho, Jordanem, Desertum Christi, Mare mortuum, Bethsames, Silo, Ra-

Ramatha, Modin, Vallem Terebinthi, Anatoth, Bezura, Planitiem Gabaon, ubi Josue Solem stitit.

Samaria fundata ab Ambri Rege Israël, nominata à colle Samaro, supra quem Metropolis Samaria, olim Sichem dicta, postea Samaria, deinde Neapolis, nunc Napolus. Ad jactum arcûs extra urbem est puteus Jacobi, ubi Christus convertit Samaritanam. Ad pedem montis, ubi fuit facta benedictio à Tribubus Simeon, Levi, Juda, Issachar, Joseph, Beniamin: E regione Montis Hebal, ubi fuit facta maledictio à Tribubus Ruben, Gad, Aser, Zabulon, Dan, Nephthali. Dissidium, cur Samaritani non coutebantur Judæis, hinc est, quòd tempore Alexandri Magni Manasses frater Jadi Pontificis ignominiosè ab altari remotus fuerit, eò quòd externam filiam, nempe ducis Samariæ duxerit, nomine Sanaballat. Itaque auxilio soceri templum supra montem Garizim ædificat ad formam Hierosolymitani, ibique Deum adorat, prohibens subditis Samaritanis ire Jerosolymam adorationis causâ. Joseph. l. 11. c. 13. Juxta montem Garizim est urbecula Iscarioth, quam patriam fuisse Judæ proditoris dicunt.

Galilæa dividitur in superiorem & inferiorem. Superior continet viginti oppida, donata à Salomone Regi Hiram Gentili pro materialibus templo præbitis. Hinc vocatur Galilæa Gentium. Inferior est Patria Christi, éstque juxta Mare Tiberiadis.

Palæstina dicitur omne reliquum terræ spacium extra tres dictas partes.

Hæ quatuor Terræ sanctæ partes extenduntur in longum ad decem circiter milliaria Germanica mediocria, in latum quinquaginta. Hoc in spacio David Rex, scribente Joab, numeravit virorum armatorum decies ter centena millia; à Dan, id est, extremitate versùs Babyloniam ad pedem usque montis Libani, id est, Bersabee; quæ est altera extremitas versùs Ægyptum. Christus omnes has quatuor partes præsentiâ suâ sanctificavit: nam & in Galilæa conceptus est, & in Samaria prædicavit, & in Palæstina dæmones expulit, & in Judæa natus ac mortuus.

II. HIEROSOLYMA.

Hierusalem metropolis ædificata circa annum mundi bis millesimum vigesimum tertium. Dicta Salem à Melchisedech Rege & Sacerdote. (qui ex opinione Hebræorum fuit Sem filius Noë) Is Regis cum titulo præfuit centum quinquaginta annis. Postea urbs venit in manus Jebusæorum, mutatóque nomine Jebus dicta est. Demũ capta à Josue, Jeb⁹ Rege occiso, mansit in potestate Jebusæorum octingentis viginti quatuor annis, usque ad Davidem. Quo tempore sic montem Sion variis munitionibus vallârunt, ut in contemptum Davidis obsidentis vigilum loco claudos cæcósq; supra muros constituerent. (quanquam Rabbini dicant nihil aliud fuisse, quàm imaginem claudi Jacob & cæci Isaac) Expugnatam urbem David novo nomine appellavit civitatem David, præsertim tamen & propriè montem Sion. Fuit Hierosolyma quadringentis septuaginta septem annis gubernata per septendecim omnino Reges ex familia seu tribu Juda, ad usque tempora Nabuchodonosoris: sub quo urbs destructa, regnante Sedechiâ, desolata permansit septuaginta annis. Quibus elapsis, Nehemias muros reparavit spatio quinquaginta duorum dierum. Urbem magnificè reparatam Antiochus iterum fœdè deformavit: quam tamen Herodes Antipater maximis sumptibus iterum restauravit, imò quarta parte majorem reddidit.

Hujus urbis ter felicis fatum fuit, quater destrui: bis ante Christum, & toties post Christũ. Ante Christum eam afflixerunt & devastârunt Nabuchodonosor & Antiochus, radix peccati. Post Christum gloriam sibi super ruinas Hierosolymæ fabricârunt Titus cum Vespasiano, & Adrianus. Sub illo, quadragesimo post mortem Christi anno, occisa undecies centena millia Judæorum, vendita centum millia. Ultimus dies captæ urbis à Tito fuit decimus Augusti: quo eodem die eam etiam Nabuchodonosor olim ceperat. De urbe excisâ Titus eodem curru cum Vespasiano Patre triumphavit Romæ. Alter urbis devastator post Christum fuit Adrianus, qui Anno Christi centesimo vige-

ſimo ſecundo, Titi excidio quinquaginta duobus annis pòſt, ultimam manum & coronidem impoſuit, Judæorúmque Nomen omnino delevit. Adrianus favere tunc Chriſtianis viſus, quòd habitari poſthac civitatem vellet à Chriſtianis non Judæis: in hoc ſolo Fidei illis in partib⁹ fuit perſecutor, quòd in monte Calvariæ Veneris ſtatuam eo loco, ubi Sepulchrum eſt, in loco Crucis ſtatuam Jovis, denique ſupra ſtabulum Bethlehemiticum Adonidis poſuerit, tribus his Chriſtianorum altaribus, ſuperingeſtâ terrâ, & gentilium Deorum cultu ſceleſtiſſimè profanatis: uſque dum Helena unà cum fide etiam Antiquitates Chriſtianorum reſtituit Anno Chriſti trecenteſimo vigeſimo ſexto, vel ut alii volunt, trecenteſimo trigeſimo.

Urbs Hieroſolyma hodie propè ab omnibus ſancta dicitur. Mahometani ſanctam dicunt, quia credunt hîc Deum Mahometo apparuiſſe, & pro pediſſequo ei dediſſe Gabrielem Archangelum: Judæi ſanctam credunt propter templum Domini: Chriſtiani propter Chriſtum. Situs ejus ad quatuor montes ſe extendit. Sion, Akra, Moriah, Betzetha. In monte Sion ſunt, Carcer regius, ubi Jeremias fuit, domus fortium Davidis, Domus Uriæ, Tabernaculum, Palatium Annæ, Palatium Caiphæ, Cœnaculum, Domus B V. &c.

In monte Akra, inter quem & Sion fuit olim præcipitium Mello dictum, quod implevit Salomon non ſine populi rebellione.

Hîc ſupra pontem arcuatum creditur eſſe illa porta ferrea, quæ Act. duodecimo ſponte S. Petro aperta eſt.

In monte Akra (propriè Hieruſalem, ſeu filia Sion) ſunt, Domus S. Annæ, Domus divitis epulonis, Domus Principis Phariſæorum, ubi JESUS comedit Sabbato, Collegium Herodianorum (credentium Herodem eſſe Meſſiam) Collegium Scribarum & Doctorum, Curia Sanhedrim ſeu concilium ſeptuaginta duorum Doctorum vel ut Succeſſorum illorum ſeptuaginta duorum Judicum Moſaicorum, denique Palatium Pilati.

In monte Moriah (filia Hieruſalem) eſt templum Salomonis.

In monte Bethzetha eſt Palatium regium Herodis.

Adrianus Imperator abſtulit urbi

duos montes grandes, Sion & Bethzetha, deditque duos parvos Gihon, & Calvariæ. In monte Gihon unctus est Salomon in Regem. In monte Calvariæ post mortem unctus est Christus. Mœnia hodierna vix tertiam partem urbis antiquæ complectuntur. Urbs hodiéque constat domibus & templis. Ex templis non nisi duo nomen merentur, Templum Salomonis, sive Moschea Turcarum (de qua infrà) & templum Calvariæ, de quo etiam suo loco dicemus.

Ex domibus, quatuor hodie Palatia præstant.

1. Palatium Muffti.

2. Palatium filiæ Pharaonis (hodie Palatium Kadi, seu judicis urbis)

3. Palatium Herodis (hodie Palatium primi Soubachi.)

4. Palatium Pilati (hodie Palatium Sangiaci Gubernatoris urbis) & si quæ pauca fortè sunt alia.

Populus, qui nunc est Hierosolymis, fortè pessimus totius orbis est, & Hierosolyma sentina malorum.

Divina virtute contingit, quòd Turcarum Imperator peregrinos Christianos tam liberè permittat visitare Christi sepulchrum aliáque loca sancta. Nam quod nonnulli putant, id fieri propter lucrum, quod à Christianis accipit, argumentum eorum est, qui rem non bene considerant. Quid enim tot tantarúmque terrarum Domino sint decem millia coronatorum annua, vel etiam centum millia (quam summam nunquam attingit lucrum à peregrinis acceptum) ut contra Juramentum suum & Mahometi legem permittat in terra sua Christianis libertatem Religionis, & Christi cultum, quem unà cum Christianis ex lege tenetur, ubi potest, extirpare? Jam ad reliqua.

III. TEMPLVM SALOMONIS, VT OLIM FVIT.

Templum Salomonis olim septem annorum spatio constructum est, operâ centum quinquaginta millium & sexcentorum operariorum, habuitque quatuor partse.

1. Sancta Sanctorum.
2. Sanctuarium.
3. Atrium Israëlis.
4. Atrium Gentium.

Duæ primæ partes, id est, Sancta San-

Sanctorum & Sanctuarium habuerunt in longitudine cubitos sexaginta, in latitudine viginti, in altitudine triginta, longitudine tendente a bOriente in Occasum, latitudine à Meridie in Septentrionem. Contignationes fuêre tres, cedrinis tabulis distinctæ, & laminis auri purissimi imbracteatæ. In summâ & mediâ conservabantur vasa. In infimâ terræ vicinâ, erant Sancta Sanctorum, & Sanctuarium, quod sæpe atrium Sacerdotum appellatur.

Locus, Sancta Sanctorum dictus, longum, latum, altum, viginti cubitos in formam cubi, pavimentum habuit marmoreum; reliqua omnia cedrina & auro vestita. Hîc Arca fœderis custodiebatur inter duos Cherubinorum colossos, quorum quisq; decẽ cubitos æquabat.

Sanctuarium longum, altúmque quadraginta cubitos, latum viginti, atrium Sacerdotum vocabatur: erátque à Sanctis Sanctorum velut templi choro, solo velo distinctum quod in morte Christi scissum est. Hîc fuit altare Thymiamatis, ad cujus dexteram Zacharias Angelum vidit, & obmutuit. Ibidem etiam ad partem meridionalem erant decem candelabra, quinque ad dextram, & totidem ad sinistram. Ad partem septentrionalem mensæ panũ propositionis decem, qui renovabantur suis temporibus. Atque hæ duæ templi partes tectæ erant.

Reliquæ duæ, nempe atrium Israël, & atrium Gentium erant sub dio. Atrium Israël nemo Gentilis sine capitis pœna ingrediebatur, ut ait Josephus l. 5. c. 14. Ubi addit, adscripta fuisse litteris Hebraicis, Græcis, & Latinis ista verba. Omnis alienigena intrans hunc locum sanctum, moriatur. Hîc fuit altare Holocaustorum æneum, quod basis loco à duodecim bobus sustinebatur, cujus peripheria triginta cubitorum fuit, altitudo quinque. Ad portam erant columnæ duæ æreæ rotundæ, operis venusti. Altitudo cujusque fuit cubitorum octodecim, peripheria duodecim. Hîc etiam fuit Gazophylazium, ad quod JESUS laudavit viduam. Hîc Synagoga fuit, in qua disputabant de lege Sacerdotes. Hîc demum fuit Porticus Salomonis columnata, latitudine decem cubitorum, & in viginti cubitorum longitudinem porrecta: atque hîc creditur occisus Zacharias, de cujus morte hoc eodem loco Christus locutus est.

Quarta

Quarta pars templi Atrium Gentium dicta est, in qua JESUS adulteram absolvit; è qua ejecit vendentes & ementes. Hîc fuit celeberrimum illud Horologium solare Regis Achaz. Ex hoc atrio in atrium Israëlis ascendebatur quindecim gradibus. Hinc Psalmi graduales, quòd ibi canerentur. Ad latera templi erant duæ turres altæ, ubi duo sacerdotes signa dabant populo diebus Sabbatinis, non campanis, sed tubis. Habuit templi tota fabrica exterior portas quatuor,

1. Orientalis supra vallem Josaphat dicta est aurea, per quam JESUS die Palmarum triumphans intravit: quam hodie clausam tenent Turcæ jussu cujusdam prophetiæ Turcicæ prædicentis, per eam intraturum Regem, qui Mahometi sectam sit deleturus.

2. Porta Occidentalis dicta est speciosa, ubi Claudus à S. Petro sanatus.

3. Porta Australis dicta est Sacra, ubi Esdras legem legit.

4. Porta Aquilonaris dicta est piscium, propter Piscinam probaticam ibi vicinam, ut putant: Ubi Christus paralyticum jussit tollere grabatum suum. Atque hæc breviter de templo Salomonis, ut olim fuit.

IV. TEMPLVM SALOMONIS, VT NVNC EST.

PRiusquam progrediamur, monendus lector est, ne nimis ad literam & rigidè, sed cum grano salis intelligat illa verba Christi: *Non manebit lapis super lapidem, qui non destruatur*; ne contra peritorum, & totius antiquitatis torrentem solus nitatur, & litteræ adhæreat, credátque absentem se plus videre, quàm periti & præsentes palpent. Hac monitione facta, sciat lector, si locus à peritis cum industria consideretur, adesse adhuc non parum ex quatuor partibus templi: & quidem atrium utrumque tam Gentium quàm Israëlis eadem, ut fuerunt, magnitudine è vestigiis videri posse formâ quadratâ, cujus latus ducentos quinquaginta circiter passus habet, id est, toto in circuitu circiter mille. Etiamnum commodè videtur distinctio quindecim gra-

graduum. Quanquam duæ aliæ partes, Sanctuarium scilicet & Sancta Sanctorum non ampliùs clarè videri possint, quia, ut credibile est, ijsdem super fundamentis stat hodie Moschea Turcarum: prout permisit fabrica, quæ octogonæ formæ est; cùm templum fuerit quadratæ & oblongæ.

Octogonum itaque hodie cùm sit, sedecim columnis æreis (binis semper ad angulum conjunctis) superbissimè cingitur; fenestram quodvis latus habet crystallinam: Inferiùs omnia opere Mosaico intermixtis decorè columnis porphyreticis, & marmoreis quàm plurimis maximè barbara pulchritudine sic fulgent; ut, cùm sol fulgore suo perstringit fenestras, & mosaici sive tessellati operis vitream planitiem, cælum videre te credas, propter venustissimam reflexionem tam colorati fulgoris.

Quatuor portæ etiamnum adsunt; sed porta aurea propter causam supradictam clausa est. Totum planum quadratum muro cingitur. In quatuor angulis quatuor non magna oratoria videntur: inter quæ quod est ad dextram Portæ speciosæ, centum passus longum est, latum sexaginta: creditúrque esse locus, ubi B V. vixit, postquam præsentata est Domino in templo. Ideo etiamnum in hunc diem vocatur ab omni antiquitate templum Præsentationis B. V. Fuit ille locus velut Monasterium Virginum earum, quæ templo serviebant. Earum præsides fuêre viduæ: inter quas una fuit Anna illa Prophetissa, de qua Luc. 2. 37. illud legitur laude dignum, quòd nunquam discedebat de templo. Porticus Salomonis est in extremitate occidentali ejusdem lateris, ubi Christus aliquoties ambulavit, ubi primi fideles congregabantur, ubi hodie habitat Kadi Judex cum duobus Kachayathis seu assessoribus Turcicis. Versùs partem eandem occidentalem ad pedem hujus muri extrà est Piscina probatica, longa centum quinquaginta passus, lata triginta. Aliquæ ex porticibus etiamnum videntur: duo respiciebant orientem, tres occidentem. Quanquam fœdè hodie laceratæ sunt, uti & piscina sine aqua est, & virgultis silvescit. Hæc de forma templi Salomonici, ut nunc est, exteriore. Jam de interiore dicam.

Moschea hæc Turcica, sive templum

plum Salomonis interius, ut nunc est, viginti quatuor columnis marmoreis insigne est. In medio cupulam habet. Ad quamvis columnam quatuor lampades diu noctúque ardent. Reliqua murorum spatia implentur animalium variorum formis opere Mosaico peritè expressis. Nullum hîc altare, nulla sedilia; si parvum excipias Homicyclum, in quo thronus Muffti, seu Papæ Turcici: (qui ex lege non nisi aquam bibit, nec comedit, quod vitam habuit, vel habere potuit) ad cujus throni pedem vestigium Christi unum est è monte Oliveti, relicto altero, nuper ablatum, eóque loco inter tres ardentes lampades honorificè conservatur: ita ut Annis singulis Muffti in Crystallino vase Imperatori Turcarum Constantinopolim mittere dicatur pulverem, qui per annum in hoc vestigium cecidit, tanquam rem veneratione dignam. Hoc, inquit Bucherus, intellexi ex uno de familia Imperatoris Turcarum, cum quo iter centum & amplius leucarum feci.

V. DE ANTIQVITATIBVS TERRÆ SANCTÆ.

Divino consilio factum est, ut in terra toties vastata adhuc tamen signa supersint eorum, quæ vel in veteri vel novo Testamento contigerunt, pleraque digna, ut sacris litteris à Spiritu sancto mandarentur. Dicam brevissimè quædam

1. De Christo.
2. De B. Virgine.
3. De SS. Apostolis.
4. De Sepulchris.
5. De Urbibus.
6. De domibus.
7. De carceribus.
8. De aquis.
9. De promiscuis.

I. ANTIQVITATES DE CHRISTO.

Si personam Christi considero, est hodiéque in veneratione

1. Cœnaculum: ubi præter institutionem venerabilis Sacramenti plurima alia notantur.

2. Locus, ubi flevit super civitatem.

3. Ubi docuit Pater noster.

4. Locus, ubi prædixit destructionem templi.

5. Lo-

5. Locus, è quo ascendit in cælum.

6. Locus, ubi maledictione sua arefecit Ficulneam.

7. Lapis, in quo sedens ante Bethaniam, exspectavit Martham.

8. Porta, per quam die Palmarum introivit.

9. Porta templi, per quam die Palmarum ingressus est templum.

10. Locus, ubi Magdalenæ habitu hortulani apparuit.

11. Locus, ubi natus est.

12. Locus, ubi in præsepio reclinatus est.

13. Locus, ubi à magis adoratus est.

14. Locus, ubi fuit circumcisus.

15. Locus, ubi se duobus discipulis junxit in Emmaus euntibus.

16. Mons & spelunca, quam appellant Quarantana, ubi jejunavit.

17. Puteus, ad quem Samaritanam convertit.

18. Fons JESU, sic dictus, quòd eo frequenter sit usus JESUS.

19. Mensa Christi, id est, lapis, ubi traditur cum suis comedisse post Resurrectionem.

20. Saltus sive præcipitium Domini, è quo ipsum præcipitare Nazarethani voluerunt.

21. Locus Transfigurationis in monte Thabor, ubi olim stetere tria monasteria, velut tabernacula.

22. Sunt denique in honore adhuc stationes quamplurimæ, seu loca, quæ JESUS præsentia & Passione sua honoravit, & quamplurima alia.

II. ANTIQVITATES DE B. V.

SI personam B. V. considero, est hodie in veneratione in Babylone

1. Templum eo loco positum, in quo habitavit in fuga B. Virgo cum puero JESU.

2. Templum in loco, ubi fuit concepta B. V. quod hodiéque vocatur templum Conceptionis B. V. ubi arborem, quæ tempore Conceptionis subitò & sponte sua crevit, ut habet Villamontius.

3. Intra montem Galileæ & Oliveti templum est eo in loco, ubi Angelus Gabriel apparens B. Virgini felicem ex hac vita transitum indixit, & ramum palmæ tulit.

4. Est adhuc vestigium Cappellæ eo in loco, ubi B. V. mortua est; apparétque pars lapidis, super quo S. Jo-

S. Joannes traditur dixisse Missam.

5. In monte Sion ostenduntur duo lapides, in quorum uno Christus sedens docebat discipulos, in altero sedens B. Virgo audiebat. Ut ait Bredenbachius.

6. Adest sepulchrum B. V. ex albo marmore paulò latius Christi sepulchro, super quo etiamnum dicitur Missa.

7. Non longè à sepulchro S. Jacobi minoris lapis est, super quo B. V. solita est requiescere, quando loca sacra visitabat.

8. Est in honore locus, ubi Jacobus Apostolus cingulum à B. V. accepit, cùm assumeretur in cælum: quod illis in terris reliquit, ne periret, cùm ad Indos iret: hinc hodiéque Christiani illi vocantur, de Cincturâ.

9. Honoratur item locus, ubi B. V. stabat, cùm lapidaretur Stephanus.

10. Superest fons, B. Virginis dictus, vel fons Solis, vel fons Draconis, quo B. V. sæpe usa est. Est etiam apud Turcas in honore. Hodie triginta lapideis gradibus ad eum descenditur.

11. Locus, ubi sedit B. V. quando tres Reges excepit.

12. Alius item puteus Bethlemi, cujus aqua ad os usque putei ascendit, cùm B. Virgini & haustus negaretur & situla, quâ hauriret.

13. Est Cappella, quam appellant Cappellã Apparitionis, eo loco, ubi Christus B. Virgini post Resurrectionem apparuit.

14. Prope Nazarethum, ad quẽ traditur B. Virgo cum puero JESU quievisse frequenter.

15. Eo loco, ubi B. Virgo visitavit Elisabetham, olim duo templa, unum supra alterum, structa erant: unum ad memoriam Cantici, Magnificat: Alterum in memoriam Cantici, Benedictus. Stant etiamnum duo Chori, & quandoque fuerunt stabulum caprarum, ut ait Bucherus.

16. Sepulchrum, de quo suprà dixi, est infra terram. Cappella supra Sepulchrum est longa pedes quindecim, lata quatuordecim, alta novem. Ecclesia, quæ cooperit Cappellam, longa est quadraginta passus, lata viginti quinque. Retro ipsam Cappellam sunt Altaria nationum. In Cappella ipsa lampades ardent: habetúrque in veneratione etiam à Turcis & Mauris. In medio longarum scalarum, quibus descenditur,

ditur, est altare SS. Joachimi & Annæ, & è regione S. Josephi: & creduntur ibi esse eorum sepulchra: éstque hæc fabrica opus Reginæ Milecendis.

17. Domus, in qua B. V. habitavit post Passionem ad minimum undecim annis, distat quinquaginta passibus è cœnaculo.

18. Locus, ubi stetit B. V. cùm JESUS crucifigeretur.

19. In via Bethlemitica mille passibus ultra domum S. Simeonis Senis, est hodiéque terebinthus, ubi B. V. quievit, quando ivit Jerosolymam Christum præsentatura. Hæc arbor à Christianis omnibus quasi laceratur, & tamen quàm primùm recrescit.

20. Locus, ubi B. V. ex hac vita excessit, distat à Palatio Caiphæ viginti passibus, ubi ex Ecclesia B. Virginis structa Turcæ fecerunt Moscheam, ut ait Joan. Panormitanus.

21. Locus, ubi Judæi manuum usum amisere ad tumbam B. Virg. cùm portaretur ad sepulchrum: hodiéque in honore est, & distat duodecim passibus à caverna flentis Petri.

22. Tredecim circiter passibus à loco erectæ Crucis locus est, ubi sedenti Matri dolorosæ datus est super genua depositus de cruce JESUS. Et plura alia SS. loca hodie in honore sunt.

III. ANTIQVITATES DE SS. APOSTOLIS.

SI personas Apostolorum considero, adsunt

1. Carcer S. Petri.

2. Ecclesia S. Jacobi, id est, locus Martyrij.

3. Ecclesia SS. Apostolorum, id est, Cœnaculum.

4. Locus Divisionis Apostolorum.

5. Locus, ubi S. Joannes B. Virgini Missam dixit.

6. Antrum S. Petri, ubi flevit amarè.

7. Locus trium Apostolorum dormientium.

8. Locus octo Apostolorum quiescentium in Monte Oliveti.

9. Locus, ubi S. Petrus abscidit Auriculam Malcho.

10. Latibula Apostolorum.

11. Antrum S. Jacobi jejunantis usque ad Resurrectionem Christi.

12. Locus, ubi S Jacobus accepit cingulum à B. V. ut dixi.

13. Locus, ubi Apostoli composuerunt CREDO.

14. Locus, qui dicitur, Viri Galilæi: ubi steterunt Angeli tempore Ascensionis Christi.

15. Porta ferrea, quæ sponte aperta est S. Petro.

16. Locus Conversionis S. Pauli.

17. Fenestra S. Pauli, per quam in sporta demissus est.

18. Domus Judæ hospitis S. Pauli.

IV. ANTIQVITATES SEPVLCHRORVM.

SI de sepulchris sermo sit: adest

1. Sepulchrum Davidis.
2. Zachariæ.
3. Rachelis.
4. Sepulchra Prophetarum.
5. Sepulchra Judicum.
6. Sepulchra Regum Israël.
7. Sepulchrum Josephi filij Jacob.
8. Sepulchra reliquorum filiorum Jacob.
9. Sepulchrum Absolonis.
10. Sepulchra concupiscentiæ in deserto.
11. Sepulchrum Lazari.
12. Sepuchrum Josephi ab Arimathia.
13. Sepulchrum S. Stephani.
14. Sepulchrum S. Josephi Sponsi B. V.
15. Sepulchrum S. Joachimi.
16. Sepulchrum S. Annæ.

V. ANTIQVITATES VRBIVM.

SI de urbibus & castellis sermo est; habetur etiamnum in honore.

1. Bethania, Castellum SS. Marthæ & Magdalenæ.
2. Castellum Lazari.
3. Castellum, Contra vos, in quod missi à Christo discipuli ad Asinam adducendam.
4. Villa Pastorum, qui Christum natum visitârunt, ubi turris Jacob, ad quam vigilabant pro gregibus suis.
5. Castellum Emmaus.
6. Urbs Jericho.
7. Tyrus.
8. Cæsarea.
9. Sidon.
10. Azotus, ubi Philippus inventus.
11. Accaron, ubi Arca fœderis honorata. Et quam plurimæ aliæ.

Si de

VI. ANTIQVITATES DOMORVM.

SI de domibus sermo est; monstrabitur peregrino
1. Palatium Annæ.
2. Palatium Caiphæ.
3. Palatium Pilati.
4. Palatium Herodis.
5. Domus Ananiæ, qui Saulum instruxit.
6. Domus Judæ hospitis S. Pauli.
7. Domus Zebedæi.
8. Cœnaculum.
9. Turris David.
10. Domus Mariæ, matris S. Marci.
11. Domus divitis epulonis.
12. Domus principis Pharisæorum.
13. Domus S. Veronicæ.
14. Domus Simonis leprosi.
15. Domus Zachariæ.
16. Domus Zachæi publicani.
17. Domus B. V. in Hierusalem.
18. Domus B. V. in Nazareth, id est, Lauretana.
19. Domus S. Josephi in Nazareth.
20. Monasterium Eliæ Prophetæ.
21. Monasterium S. Paulæ.
22. Turris S. Simeonis Senis.
23. Turris Jacob.
24. Tugurium S. Pelagiæ.
25. Schola Sancti Hieronymi, &c.

VII. ANTIQVITATES CARCERVM.

SI de carceribus & speluncis sermo sit: est
1. Spelunca S. Hieremiæ Prophetæ, ubi composuit Lamentationes.
2. Antrum S. Petri, ubi flevit amarè.
3. Antrum S. Jacobi jejunantis usque ad diem Resurectionis.
4. Latibula reliquorum Apostolorum.
5. Spelunca David, ubi latuit in persecutione Saulis.
6. Carcer S. Petri.
7. Carcer S. Hieremiæ Prophetæ.

VIII. ANTIQVITATES AQVARVM.

SI de aquis sermo sit: adest
1. Cisterna S. Marthæ.
2. Cisterna trium Regum.
3. Cisterna Bethlehemitica, quam David desideravit.
4. Piscina Gihon.

5. Piscina Bersabee.

6. Piscina Probatica.

7. Fons Samuelis.

8. Fons S. Philippi, in quo baptizavit Eunuchum.

9. Fons Elisæi Prophetæ.

10. Fons Apostolorum.

11. Fons, quem Moyses elicuit è Petra.

12. Puteus Nehemiæ.

13. Puteus Hieremiæ.

14. Puteus aquarum viventium.

15. Mare cum memoria loci, ubi intravit & exivit Populus Israël sicco pede.

IX. ANTIQVITATES PROMISCVÆ.

SI sermo sit de alijs: adest

1. Monasterium S. Hieronymi ad Jordanem.

2. Ecclesia S. Joannis, ubi baptizavit.

3. Haceldama, sive Ager sanguinis.

4. Natatoria Siloë, ubi cæcus illuminatus.

5. Locus, ubi sectus Isaias.

6. Locus, ubi lapidatus S. Stephanus.

7. Locus, ubi Melchisedech occurrit Abraham.

8. Locus, ubi Abraham voluit immolare filium suum Isaac.

9. Arbor, in cujus Ramis cornibus hæsit aries, pro Isaaco immolatus.

10. Lucus Tophet, ubi infantes lustrabantur igne.

11. Locus, ubi ab Angelo Habacuc fuit raptus.

12. Schola & oratorium S. Hieronymi.

13. Locus, ubi Hazaël fuit unctus in Regem Israel, &c.

Si hæc miraris, Lector, & fidem superare existimas, lege obsecro Auctores impressos & magnæ auctoritatis, quod tibi supra nominavi: hæc omnia, & plurima alia fidelissimè reperies.

Quòd si etiam his auctoribus fide dignis, qui magnis sumptibus ipsi hæc inspexerunt, quíque multis annis Hierosolymis habitârunt, quòd si & totis nationibus orientalibus, qui hæc & plura alia constanti traditione & ut plurimùm unanimi tradunt credúntque, fidem habere nolis, mihi tecum lis non erit: quia talem consuetudinem non habeo, sed neque Ecclesia Dei.

VIA

VIA DOLOROSA.

VLtimum, quod ad Prolegomena hujus operis spectat & pro totius operis intelligentia penè necessarium est, est via Christi Domini nostri dolorosa, quam ego hîc ex doctissimo Adrichomio excerptam, accuratè observatis pedum mensuris, appono.

Itaque in Monte Oliveti incipiendo à loco orationis, sunt pedes

100. ad locum capturæ. Inde
5900. ad Palat. Annæ. Inde
525. ad Palat. Caiphæ. Inde
2500. ad Palat. Pilati. Inde
875. ad Palat. Herodis. Inde
1500. ad Palatium Pilati. Inde
65. ad locũ impositæ Crucis. Inde

VIA CRUCIS

200. ad locum primi casûs. Inde
153. ad locum visæ Matris. Inde
179. ad locum Sim. Angar. Inde
478. ad locum Veronicæ. Inde
842. ad locum secundi casûs. Inde
872. ad locum flent. mulier. inde.
404. ad locum tertij casûs. Inde
45. ad locum denudation. Inde
30. ad locum inclavationis. Inde
35. ad locum erectæ crucis.

ITaque Redemptor noster Dominus JESUS Christus intra paucas horas per quinque millia gressuum (si tres pedes pro gressu uno accipias) durissima ambulatione confecit, numero non parùm mysterioso: quando sunt, qui ictus numerent in flagellatione acceptos nec plures nec pauciores. Quanquam credibile sit, necessarium fuisse, ut plures longè gressus faceret JESUS, propter Crucis pondus & corporis debilitatem, maximè verò propter tyrannicam ducentium exagitationem. Hanc viam frequentissimè Mater dolorosa reliquis vitæ suæ annis, ea qua Filius intentione, pro mundi salute confecit. Utinam sint, qui ejusdem longitudinis viam sibi eligant ad templum aliquod Virginis dolorosæ:



PARS I.

PASSIO DOMINI NOSTRI JESU CHRISTI NOCTVRNA.

SI pro delictorum numero debebat esse & plagarum modus, diu noctúque JESU meo, dolendum, & patiendum erat: & quia nulla fuit hora sceleribus hominum non infecta; virum dolorum, & omnium horarum oportebat esse eum, qui tantorum debitorum fidejussor haberi vellet. Et quidem incipiendum erat à nocte, quæ consilium dat faciendorum. Itaque primâ hac parte complectemur ea, quæ à principio orationis, usque ad crepusculum matutinum contigerunt. Ut autem ex ordine progrediamur, partem hanc in duos libros distinguam. Prim⁹ erit de ijs, quæ cõtigerunt extra urbem: Secundus de ijs, quæ contigerũt intra urbem.

LIBER I.

PASSIO DOMINI NOSTRI IESV CHRISTI EXTRA URBEM.

PRô! quæ non scelera extra urbes per amica silentia noctis committuntur in villis, prædijs, hortis? quæ eò cæteris minora existimantur, quòd joco fiant, quasi sarcasmus cedat contumeliæ. Hoc verò est rusticari. Non majorem merentur laudem, quæ seriò fiunt in campis, silvis, ac vijs publicis, quando, ut jugulent homines, surgunt de nocte latrones, operæ pretium facturis. Hàc JESU meo eundum erat, ut ego securus transirem. Ut ordine incedamus in hoc Mariano itinere, librum hunc distinguam in duas vias. Prima erit ad Montem Oliveti sursum: Secunda in vallem Josaphat deorsum.

VIA I.

VIA I.

MATRIS DOLOROSÆ,

IN MONTE OLIVETI.

MOns Oliveti altiſſimus omnium, qui Hieroſolymam cingunt circuitu decem leucarū, eſt triceps. Omnes hi tres apices olim à Salomone mulierum ſuaſu fuere profanati. In jugo namque ſupremo poſuit Aſtarthen Deam Sidoniorum: in medio Moloch idolum Ammonitarum: (hinc illi nomen Mons offenſionis) in infimo ſtetit Chamos Moabitarum Abominatio (illi nomen Mons ſcandali) Sic nempe aurum ab igne, femina ab auro, vir denique probatur à femina. Primum jugum Montis ſanctius nomen acquiſivit, propter frequentes Orationes, quas ibi Servator eſſet facturus, præſertim Orationem dominicam, quam eo in loco ſuos erat docturus: quo poſtea, ne tanti beneficij periret memoria, S. Helena oratorium ſtruxit, cujus rudera etiamnum apparent, vocatúrque Eccleſia Orationis Dominicæ.

Super hoc ipſo Monte prædixit JEsus diem judicij, & brevibus, ſed efficacibus verbis Majeſtatem actûs deſcripſit. Non longè ab hoc loco, cùm deſcenderet, Urbis, quam, ut eſt, integram proſpiciebat, excidium prænuntiavit. Turcæ locum hunc exſtructâ Moſcheâ honorârunt. Memorabilis quoque Chriſtianorum illa memoria eſt, qua docent, quo ibi veſtigio triumphum Palmarum ſit exorſus. Denique hoc ipſo in Monte eſt locus ille, ultimo Chriſti contactu ſacer, dignus ſanè, qui pro fuſtuario ſpectaretur à S. Patriarcha noſtro Ignatio, quo ſuorum in has terras ingreſſum fortaſſis meruit, quóque ſuorum laboribus prælуſit. Eccleſia oppidò antiqua etiamnum ſtat, ſervítque Chriſtianis pro templo, Turcis pro Moſchea. Fabrica eſt octangula, cujus ambitus quinquaginta paſſus continet, altitudo cubitos propè viginti, fornicis peritè facti hiatus veſtigijs reſpondens Servatoris, ut aiunt, claudi nunquam potuit. Veſtigium Chriſti dextrum altiùs lapidi impreſſum obſervant curioſi, quod,

quod, ut superiùs memoravi, à Turcis in urbem translatum est, & in templo Salomonis conservatur, non minore fortassis veneratione, quàm sinistrum, quod etiamnum suo loco Christianorum cultui prostat, qui ex hujus vestigij situ asserunt, JESUM in Cælum ascendendentem faciem vertisse ad Aquilonem; ut ei parti bene precaretur, ex qua venire solebat omne malum. Centum omnino & quinquaginta passus Aquilonem versùs locus est, quem hodie Christiani vocant, Viri Galilæi; quòd ibidem Apostoli sic ab Angelis appellati sunt, cùm de futuro ibidem judicio & Christi reditu monerentur. Ultimus, qui ad rem meam facit, locus est Palma Virginis, non multùm à priore distans: sic dictus, quòd ibi Gabriel, semper magnorum gaudiorum Bajulus, B. Virgini imminentem sibi ex hac vita decessum indixerit, atque in triumphati mundi velut cælestem tesseram, Palmæ surculum porrexerit. Ut ex ordine progrediamur in hac Via Mariana, eam distinguam in tres stationes. Prima erit in loco Orationis: Secunda in loco trium Discipulorum: Tertia in loco comprehensionis.

STATIO I.

LOCVS ORATIONIS.

IN latere itaq; occidentali Montis Oliveti est hortus quadratus, cujus latus quodlibet sexaginta circiter passus habet, hodiéque dicitur Hortus olivarum, propter undecim prægrandes & oppidò vetustas Olivas, hodiedum frugiferas & proceritate sua umbrosas. Súntque, qui non sine bona ratione existiment, esse has inter vetustissimas Palæstinæ arbores. Hic caverna est, ubi gemitibus inenarrabilibus, & cum lacrimis, nec sine sanguine pro nobis à Christo oratum est. Ingressus est angustus & obscurus: & si per novem lapideos gradus ad ostium descendas, ne time: nam nullus hîc cum flamea machæra Cherub, qui ingressuros arceat. Fornix sive à natura sive ab arte factus, tribus ex eadem rupe columnis sustinetur: in longum specus protenditur

ditur palmos triginta octo, octo & viginti latitudo habet, ambitùs universus passus ferè quinquaginta tenet. Totum, quod locus habet, lumen, per diffracti fornicis artefactum foramen illabitur: sive id à Christianis factum sit, ut Ecclesia, in cujus formam hæc caverna redacta est, lumen admitteret; sive à Judæo, cujus hæc olim fortè cisterna fuit. Sunt quoque, qui & locum Christi orantis & Angeli consolantis assignent. Priusquam hinc abeamus, cum Matre dolorosa septem nobis consideranda sunt. 1. Verba Christi. 2. Hortus. 3. Tristitia. 4. Oratio. 5. Sudor. 6. Angelus. 7. Calix.


I. VERBA CHRISTI.

Revel. S. Brig. l. 1. c. 39.

EGo habui tria in morte mea. Primò fidem, quando flectebam genua mea & orabam, sciens quòd posset me Pater eripere de Passione. Secundò spem, quando tam constanter expectabam & dicebam: Non sicut ego volo. Tertiò Charitatem, quando dicebam: Fiat Voluntas tua. Ego etiam habui angustias corporis ex timore naturali Passionis, quando sudor sanguinis exivit de corpore: ideo ne amici mei trepidarent se relictos, cùm instat eis tribulatio. Ego ostendi eis in me, quòd caro infirma semper refugit molestias. Sed potes quærere, quomodo sudor sanguinis exivit, de corpore meo? utique sicut sanguis infirmi in omnibus venis siccatur & consumitur, sic ex dolore naturali mortis sanguis meus consumebatur.

II. HORTUS.

PRó! Quantum impenditur in hortos non ab hominibus tantùm illis, qui ex hortis faciunt vitiorum scholam, sed ab ipso etiam DEO: nam & Pater agricola est, & filius hortulanus. Quando ex abundantia cordis os ejus sacrum loquitur, omnis penè sermo est de arboribus, fœno, lilijs, messe, agro, vinea. Tantùm non in fœno & paleis natus, duo Regia convivia (nam regno dignum judicavernut ipsi



ipsi convivæ, jam jam ad sceptrum & coronam vel invitum tracturi) fecit hortensia in fœno. Nathanaëlem & Zachæum ab arboribus vocavit ad se. Nec aliam ob causam hoc in horto tanta tulit, fecit, sudavit, alsit, quàm ut hortensem coronam sibi nobísque obtineret, ligonem etiam post mortem retenturus; ne Magdalenæ suæ alius videatur, quàm Hortulanus.

Hortulanus igitur & Vinitor tam bonus cùm sit, quid quæso est, quod ultrà debuit facere vineæ suæ, & non fecit? Expectavit quidem, ut faceret uvas; & merebatur sanè Vinitoris peritia, sudor, industria: sed spe sua delusus, quas expectavit uvas, non invenit; sed quas ne cogitare quidem potuisset, reperit labruscas & uvas acerbas: unde vel filiorum nepotúmque dentes obstupescerent, quorum parentes vel unam comedissent.

Bellus profectò hortus, ex quo Jesus fecit oratorium: bellæ arbores, quæ fructum gratiæ portant: belli fontes, quos Jesus in suo corpore aperuit. Aër est dulcis, quia eum etiam Angeli non horrent. Quid non producet terra irrigata Christi sanguine, & quidem decurrente? Plantas, credo, pro te altero Adamo alterum Paradisum, in quo tu ipse arbor vitæ, pelle, ceu cortice, abstracta moriaris; ut nos arbores autumnales & bis mortuæ insertione tua revirescamus, rescindendi aliàs, & in ignem amittendi. Quod ne fieret, frequenter & secundùm consuetudinem exibat Jesus in locum, è quo pronunciaturus erat tanti momenti sententiam: ne nobis præceps nimiúmque festina videretur, quam tam maturè in ipso judicij loco præcogitâsset.

Quid existi in desertum videre, mi Jesu? Nam aliquid quæsiturus videris. Si drachmam perdidisti, habes cæli accensas faces, quin & Judæorum paulò pòst affuturas, nec non & scopas, quas in crastinum parant. Nisi Judas se ab ovili tuo téque pastore suo sejunxisset, crederem te ovem quærere perditam: cùm ex ijs, quos tibi Pater tradidit, non perdideris quemquam, præter filiũ ipsius perditionis. Sed & hunc paulò pòst invenies, ab ipso etiam quæsitus. Si coronam Regni tui, quod non est de hoc mundo, quæris; ecce spinas & tribulos, quos maledicta terra in hoc solo ad fastidium usque Creatoris sui obediens

germi-

germinavit. Sed hæc obvia sunt: Illud, quod quæris, pomum difficilius repertu est. Vendidit jam dudum filios nepotésque in seram usque posteritatem pomo non ampliùs uno Adamus Pater, & quidem rapto. Et vivitur etiamnum ex rapto non jam cum periculo, sed certo interitu; nisi tu, ô Jesu! irritum facias contractum, quo ultra dimidium læsi sumus. Descendat itaque, descendat dilectus meus Jesus in hortum suum; ut in horto reperiat, quod in horto amissum est pomum, comedátque fructus malorum Adami, tristitiam, dolorem, sudorem. Si speciem quæris malorum; Punica crede, quia fraudulenta: ex his quia prandium instruxere protoplasti, parùm abfuit, quin cœnaturi essent cum parentibus filij apud inferos.

Ita antiqua jam res est in horto peccare, & consueta. Nam & hoc, in horto Susannæ, fecerunt senes: Et nolle in horto peccare, res est tam insolita; ut sine Prophetæ oraculo, & miraculo, vel honestissimæ Susannæ nemo ex populo credat, fieri posse. Nemo certè in horto fit mundior, quantumvis se lavet in oculis senum, etiam judicum, etiam regum. Quoties enim David Bersabeæ suæ recordabitur, toties & [illegible]rti meminerit oportet. Hæc nempe hortorum Maledictio est.

O Jesu! Cùm à Patre exijsti, & in hunc mundum venisti, mundum hunc invenisti energumenum. Atque ut pessimum hoc genus diabolorum eijceres, quod exire non solet nisi in Oratione & jejunio, quadragesimam nuper, nunc orationem fecisti misericors exorcista, utramque in monte: ut exemplo tuo nos doceres, quò debeamus provocare Dæmonem ad duellum mirandum. Duxit te ille ex monte in urbem ad pugnam; tu illum ducis ex urbe in montem ad Victoriam, peritissimus Monomachus.

III. TRISTITIA.

VErè nemo scit, quid cogitaverit de eo Deus; quia nemo est, qui, quid cogitaverit tristis ad mortem Jesus, recogitet. Si ô Domine: cogitas, ut puto, cogitationes pacis & non afflictionis, cur tristaris, suspiras, gemis? Vel si doles & tristaris; cur nemo tibi condolet?

nemo

nemo contristatur? Tres sunt, qui testimonium perhibent hujus doloris (nam pluribus silentium, paucioribus defuisset fides) & hi tres, unum licet sint tecum, non tamen ad colendum, sed ad dormiendum se componunt; ut verè doleres, quia solus & sine teste. Non frustra nuper cùm Lazarum suscitares, infremuisti & turbâsti temetipsum: probâsti namque, quomodo tædere & pavere & tristari velles ad mortem, cùm suscitandus tibi esset mundus, utique quatriduanus, utpote quatuor jam annorum millibus in horto sub arbore malo, verè malâ, sepultus.

Nec desunt causæ dolendi. Dolet namque, ut defectum doloris nostri compenset: ut Pharmacum doloris nostri amans medicus prægustet: ut ne ignoremus, mortem, quæ pœna peccati est, ex his compositam esse tædijs. Timuit ille inimicos suos; ut nos sine timore inimicorum nostrorum liberati serviremus illi in sanctitate & justitia omnibus diebus nostris. Nunquid parum tibi videtur, si peccata nostra molesta sint hominibus, nisi molesta sint & DEO JESU meo: Hinc tædium. Agnosce itaque, ô anima mea! dignationem Creatoris tui. De nostro doluit (nam uti primo, ita & secundo Adamo adempta costa seu fortitudo, data est Ecclesiæ, ut Evæ, suppositâ loco costæ fortissimæ debili carne) ut nos de suo lætaremur: se curvavit ad te, ut te elevaret ad se: humiliavit se propter te, ut te exaltaret in se: depressit se, ut in perpetuum te extolleret. Mœstitiam itaque ejus confitere, pavorem dilige, tædium venerare: de tuo hoc habuit, non de suo. Pro peccato tuo doluit, non pro suo. Flevit, quod non commisit: exhorruit, quod non fecit. Non enim fecit mortem, nec morientium perditione lætatur. Hinc Martyrum fortitudo ex JESU pavore accepta, & in tormentis ad risum usque sibi constans. JESUS nempe verè & non phantasticè dolores nostros, non suos, ipse, & non alius, portavit. Bono tamen estote animo, quotquot cum JESU in hoc mari doloris navigatis (Si tamen in eadem navi) Solius navis, corporis erit jactura. Animas omnes, quotquot volent, donavit ei Deus.

IV. ORA.

IV. ORATIO.

CAusam nostram oppidò desperatam tractaturus, cras apud Deum in audientia publica, hodie in privatâ apud Patrem proponit tanquam suam, ut viam vadúmque misericordiæ tentet. Pater! inquit, scio, quia semper me audis: voluntatem enim timentium te facis. Ita pater, quoniam sic placitum est ante te, ut bibam calicem istum: fiat voluntas tua, non mea. Sicut fuerit voluntas in cælo, sic fiat.

Sed quid video, ô mi JESU, jacentem in terra, qui nisi stes, nos jacemus; & quidem prostratum, nec ab alio, quàm teipso? Verè locus, in quo stas, jacésve, terra sancta est: atque ita vocabitur semper. Verè regnum tuum non est de hoc mundo: nam hujus mundi regibus in terram ruentibus subijciuntur tapetia & pulvinaria. Sed nec simplici modo in terram te reclinas, ut olim à Matre reclinatus fuisti in præsepio; sed omnibus viribus teipsum abjicis, & jaces sic prostratus super faciem terræ. An ut interponas te Patrem inter & terram? ut tuum, id est, mediatoris officium facias, eámque protegas ab ira Patris, qui jam arcum suum intendit & paravit, manum habens adhuc extentam? An ut radicem emendes mali illius pessimi, à quo omne malum, atque in cujus maligno totus in hæc usque tempora mundus positus pendebat? An quia cùm terra loqui vis de facie ad faciem, ut olim Moysi servo tuo, vísque dicere terræ verba illa. Jer. 22. 29. Terra, terra, terra audi sermonem Domini? An ut vox tua dulcis à terra repercussa altiùs in cælum eat & fortiùs. Utut sit, certè nobilem aream sic prostratus peccatoribus præbes, ut supra dorsum tuum designare & fabricari possint turrim Babylonicâ illâ altiorem, quæ nimirum ad cælum pertingat. Neque properare nos jubes, sed sedere & computare sumptus, síntne ad perficiendum sufficientes, nec ne. Hoc eorum peccatorum opus esse credo, quos tu vocare venisti. Cæterorum est, templum hoc destruere; ut à te post triduum reædificetur.

Sed ut video etiam terram oscularis & mille basijs demulces. An ut experimentum capias, quomodo procidere in collum Judæ eúmque osculari velis? An quia nostris

peccatis fœdatus, dignus non es videre altitudinem cæli, & velut mundi publicanus non audes tollere oculos in cælum? An in pacis signum cras mundo promulgandæ? Neque enim aliud deest quàm subscriptio tua, quæ vel mucrone lanceæ, vel spongiæ calamo fiet; & mundi sigillum, quod cras apprimetur. Fortè gratias terræ agis, quòd te triginta & ampliùs annis tulerit, quódque tibi delicias tuas, funes, clavos, crucem, arundinem, spinas protulerit, velut fructum in tempore suo? Certè quia omnibus te membris terræ tam ritè applicas, credi potes terræ punctum, pro quo tam acriter certatur, dimensurus digito, palmo, spithamo, cubito, pede, orgyâ; vel certè rigaturus exsuccam & sterilē lacrimis, velut cælesti rore, ut ad fructus pœnitentiæ aptetur.

Procidit sanè etiam Elisæus super faciem pueri & mensus est, ubi tu super faciem terræ: sed non ut puer ille, sic terra ista oscitat, & signum dat vitæ: aut mortua est, aut certè gravi lethargo opprimitur. Ita nempe nunc, nobis omnia alia agentibus, Judicium est mundi, agitúrque seriò, nobis ludentibus, An princeps hujus mundi dæmon sit eijciendus foras. Oratur nunc & peroratur causa nostra cum lacrimis: terræ faciem suam sigilli loco apprimit legatus, ut DEUS imaginem suā, quam olim inspiravit, reperiat. Petit JESUS à Patre, quod ab Elia petijt Elisæus, Spiritum duplicem Creationis & Recreationis: quia sine hoc terra nec reviviscere, nec vivere potest.

V. SUDOR.

TEmpestas hodie futura est: rutilat enim sanguine tuo, mi JESU! triste cælum. An iterum, ut olim in Ægypto, fluvius vertetur in sanguinem meo bono, qui fortè ne semel quidem ad sanguinem restiti? Sed & aliam me astrologiam docuisti, quando dixisti: cùm vespere rubicundum est cælum, manè serenum fore. Cùm ergo tu, cæli Domine! ita sub serum rubes vesperum, cur tibi cras manè serenum non pollicear?

Pater tuus, ô JESU! quem ego tam parùm vidi quàm Philippus, ut ais, agricola est, & operatur usque modo. Hinc credo, tu quoque, qui patrissas, in terram à natura

turâ pronus, terram rigas; ut tandem dare incipiat fructum suum tam frugifero rigata rore, & pro spinis rosas ferat.

Sudat Jesus filius unicornium: ergo venenum adest. Aër dulcis est, nec Angelis contrarius: crederem adesse Paradisi serpentem, nisi Judam scirem vicinum, & tanti symptomatis causam. Ab omni membro tributum exigitur: nulli lachrimas condonat dolor. Sic nempe Deus, qui totus oculus est, lacrimatur. Absint, ô absint capilli Magdalenæ, ne fortè tam utilem mundo aquam abstergant, sistántque fontem. O si cor meum esset spongia!

Ab hoc namque sudore totius mundi sanitas pendet. Hæc crisis est Jesu, qui magnis amoris febribus laborat. Pestis à pomo illo lethali contracta pellenda est; illíque sudandum, ut mundus convalescat.

Sudare jubetur sudore aqueo, & vultu tantùm, primus de terra terrenus Adam: quia sudor universi corporis non aqueus tantùm, sed & sanguineus, debebatur Adamo secundo de cælo cælesti. Ut non in aqua tantùm, sed in aqua & sanguine, quod dilectus discipulus observavit, redimeremur. Sic Passionem Christi habemus & compassionem: hanc, quâ lavemur; illam, quâ salvemur. Ita nec aqua in Baptismo sine sanguine pœnitentiæ; nec sanguis pœnitentiæ sine aqua Baptismi peccatori sufficeret. O quàm verè tecum sudat aquam & sanguinem, qui cum lacrimis se flagellat.

Pater æterne! Ecce vox sanguinis fratris nostri clamat ad te de terra, clamore valido & gemitibus inenarrabilibus, non vindictam, sed veniam; non justitiam, sed clementiam postulans: quia Sanguis Jesu est. Respice igitur in faciem Christi tui. Sudor, quem vides, ex corde venit; ut scias, ô Deus, paratum esse cor ejus. Nunc guttas vides summa promptitudine decurrentes in terram; paulò pòst rivos audies, & cras etiam videbis. Quid dico rivos? dicam torrentes: quando totius corporis cataractæ sanguinem, quem petis, apertæ protrudent, semper cum aqua, cum qua, uti primus, ita & ultimus exibit. Credere mundus morem & amorem Jesu non potest, nisi ex Pelicano intelligeret fieri posse, ut spontaneo sanguine filij revocentur

tur ad vitam, quos Jesus toties instar gallinæ sub alas colligit; quos ut saturet, esurit; ut potet, sitit; ut reficiat, deficit; ut ad amoris prodigium reviviscant, extabescit, & in terram prolabitur, frigidæ calorem, duræ mollitiem daturus, non sine spe similis eventûs in peccatorum cordibus. Sed frustra: etenim ut duri silices à sanguine mollescant & incalescant; non ita hominum corda. Videbis cras scindi petras, concuti terram, rumpi saxa, & marmorea monumenta; corda hominum indurari: quantumvis ut aqua effundatur sanguis hic pretiosissimus; negligetur tamen. Erit tamen tempus, ô peccator, cùm tibi dicetur: En! en! sanguis ejus exquiritur. Væ illis, qui sic flente Deo rident!

O me felicem, quando pro me unà cum Matre sudat Filius! hic sanguinem, illa lacrimas: nam utrisque opus habeo. Jam me pretiosiorem me ipso æstimo, ex quo tanti sanguinis pretio emptus & redemptus, vel ab Angelis judicabor majore custodia curáque dignus.

VI. ANGELUS.

SUdans adhuc Jesus, & in agonia factus prolixior, confirma, inquit, me Domine Deus in hac hora. Sed ideo veni in hanc horam ut tu glorificeris. Vix sermonem compleverat, cùm Pater, ecce, inquit, ego mittam Angelum meum ante faciem tuam, qui præparabit viam crucis ante te. Paruit Angelus, & sub tristitiæ pondere gementi, non te, inquit, frangat res ista. Viriliter age, & confortare: surge & bibe, quem fero, calicem: grandis enim tibi restat via, erit labori merces. Et quia procidisti in faciem tuam; præter illos tres orientis Reges omnes Reges terræ adorabunt te, & Vicario tuo prono in terram ore pedes osculabuntur. Quia genua tua flexisti; in nomine tuo omne genu flectetur, Cælestiũ, Terrestrium & Infernorum: quia prostratus in terra ad mortem usque contristatus es, viginti quatuor è Cælitib⁹ Seniores in facies suas ante te Agnum suũ & meũ procident, & mœrorem tuum tædiúmque citharis suis solabuntur. Quo dicto tollens se Angelus Domini abijt: & quod mireris, postea vultus ejus non sunt ampliùs in diversa mutati. Sed nec post luctam cum Angelo claudicat.

VII. CA-

VII. CALIX.

PRò! Quàm propinamus Jesu meo calicem diversum ab eo, quem ille paulò ante nobis in cœna propinavit! Uterque medicinam continet: hic vulnerariam, quâ scelera curentur; ille in sanitatem nostram ad fæces usque ei ebibendus est. Hoc est, contrarijs curare contraria, quando dulcissimo Servatori amarissimus calix offertur. Medicina est; modò æger ad leges medici vivat.

Ter reperio verbum, Fiat, à SS. Trinitatis Personis pronunciatum. Primò à Patre in Creatione: Secundò à Spiritu S. per Mariam in Incarnatione: Tertiò à te hîc in Redemptione: semper ad meam utilitatem, cúmque solùm in finem, ut mea voluntas fieret tua; hæcque esset mihi pro polo, circa quem moveretur mea. Calicem itaque salutaris accepturus, nomen invocas Domini & Patris tui, Abba Pater: rogásque, ut calix hic transeat à te capite, in nos membra tua. Adeste Boanerges, qui potestis bibere calicem, quem Jesus nunc bibiturus est. Narcoticum est, quod soporem imò & mortem conciliat, ut nos reviviscamus.

STATIO II

LOCVS TRIVM DISCIPVLORVM.

IOannes Soarius Episcopus Conimbricensis redux à Concilio Tridentino invisit Palæstinam, & de hoc loco sic scribit. Est ibi in loco saxum magnum habens tres in superficie concavitates longas, sed non profundas. In unaquaque sedit unus ex tribus Apostolis. Distat locus hic à loco orationis, quantum jactus est lapidis, à loco, ubi quieverunt octo reliqui discipuli, gressibus triginta quatuor; à sepulchro B. V. gressibus quinquaginta. Priusquam hinc abeamus, cum Matre dolorosa considerandi nobis sunt Discipuli dormientes.

tur ad vitam, quos Jesus toties instat gallinæ sub alas colligit; quos ut saturet, esurit; ut potet, sitit; ut reficiat, deficit; ut ad amoris prodigium reviviscant, extabescit, & in terram prolabitur, frigidæ calorem, duræ mollitiem daturus, non sine spe similis eventûs in peccatorum cordibus. Sed frustra: etenim ut duri silices à sanguine mollescant & incalescant; non ita hominum corda. Videbis cras scindi petras, concuti terram, rumpi saxa, & marmorea monumenta; corda hominum indurari: quantumvis ut aqua effundatur sanguis hic pretiosissimus; negligetur tamen. Erit tamen tempus, ô peccator, cùm tibi dicetur: En! en! sanguis ejus exquiritur. Væ illis, qui sic flente Deo rident!

O me felicem, quando pro me unà cum Matre sudat Filius! hic sanguinem, illa lacrimas: nam utrisque opus habeo. Jam me pretiosiorem me ipso æstimo, ex quo tanti sanguinis pretio emptus & redemptus, vel ab Angelis judicabor majore custodia curáque dignus.

VI. ANGELUS.

SUdans adhuc Jesus, & in agonia factus prolixior, confirma, inquit, me Domine Deus in hac hora. Sed ideo veni in hanc horam ut tu glorificeris. Vix sermonem compleverat, cùm Pater, ecce, inquit, ego mittam Angelum meum ante faciem tuam, qui præparabit viam crucis ante te. Paruit Angelus, & sub tristitiæ pondere gementi, non te, inquit, frangat res ista. Viriliter age, & confortare; surge & bibe, quem fero, calicem; grandis enim tibi restat via, erit labori merces. Et quia procidisti in faciem tuam; præter illos tres orientis Reges omnes Reges terræ adorabunt te, & Vicario tuo prono in terram ore pedes osculabuntur. Quia genua tua flexisti; in nomine tuo omne genu flectetur, Cælestiû, Terrestrium & Infernorum: quia prostratus in terra ad mortem usque contristatus es, viginti quatuor è Cælitib' Seniores in facies suas ante te Agnum suû & meû procident, & mœrorem tuum tædiúmque citharis suis solabuntur. Quo dicto tollens se Angelus Domini abiit: & quod mireris, postea vultus ejus non sunt ampliùs in diversa mutati. Sed nec post luctam cum Angelo claudicat.

VII. CALIX.

PRô! Quàm propinamus Jesu meo calicem diversum ab eo, quem ille paulò ante nobis in cœna propinavit! Uterque medicinam continet: hic vulnerariam, quâ scelera curentur; ille in sanitatem nostram ad fæces usque ei ebibendus est. Hoc est, contrarijs curare contraria, quando dulcissimo Servatori amarissimus calix offertur. Medicina est; modò æger ad leges medici vivat.

Ter reperio verbum, Fiat, à SS. Trinitatis Personis pronunciatum. Primò à Patre in Creatione: Secundò à Spiritu S. per Mariam in Incarnatione: Tertiò à te hîc in Redemptione: semper ad meam utilitatem, cúmque solùm in finem, ut mea voluntas fieret tua; hæcque esset mihi pro polo, circa quem moveretur mea. Calicem itaque salutaris accepturus, nomen invocas Domini & Patris tui, Abba Pater: rogásque, ut calix hic transeat à te capite, in nos membra tua. Adeste Boanerges, qui potestis bibere calicem, quem Jesus nunc bibiturus est. Narcoticum est, quod soporem imò & mortem conciliat, ut nos reviviscamus.

STATIO II

LOCUS TRIUM DISCIPULORUM.

IOannes Soarius Episcopus Conimbricensis redux à Concilio Tridentino invisit Palæstinam, & de hoc loco sic scribit. Est ibi in loco saxum magnum habens tres in superficie concavitates longas, sed non profundas. In unaquaque sedit unus ex tribus Apostolis. Distat locus hic à loco orationis, quantum jactus est lapidis, à loco, ubi quieverunt octo reliqui discipuli, gressibus triginta quatuor; à sepulchro B. V. gressibus quinquaginta. Priusquam hinc abeamus, cum Matre dolorosa considerandi nobis sunt Discipuli dormientes.

I. DISCIPVLI DORMIENTES.

POstquam Jesus in ultimo suo consistorio mense Martio, creatione unica, creâsset Episcopos, per diversa loca undecim; vix pauca locutus, avulsus est ab eis, non sine signis plusquam humani amoris. Víxque abijt, & ecce discipuli olim orare docti, nunc etiam jussi cessant; nec jam tabernacula cropant; sed specus quærunt, non Christo, Moysi & Eliæ, sed sibi quisque unam, ubi fluctibus tristitiæ oppressi somnum, quem quærunt, inveniant magno suo periculo. Nam nisi Jesus pro illis oraret & vigilaret, vel dormientes intrarent in tentationem: quid mirum? Nox est: & absentia Jesu, velut sidera cadentia, suadet somnum. Nemo vigilare potest, ô bone Jesu! à te avulsus: nisi identidem ad nos excitandos redieris, aut mortis frater somnus, aut mors ipsa nos occupat, vel etiam quandoque præoccupat.

Sed, ô boni, non potestis unâ horâ vigilare? Hæc est hora vestra, si milites, si pastores estis. Utrisque vigilandum est. Utuntur bene horâ suâ, & si permittitis, etiam vestrâ, peccatores & potestas tenebrarum. Dormienti nuper Christo in navi vicem rependitis; sed quàm periculorum vestrorum ignari? Nam qui dormiens vos vigilantes salvavit, dormientes vos, licèt vigilans, ipse salvare non potest. Jta nempe potuit te, ô homo, creare DEUS sine te, salvare tamen te non potest sine te.

Vigilias præcipit bonus paterfamilias, quia furem exspectat. Secundò abijt Jesus: secundò non dormitare modò, sed & dormire discipuli sive incipiunt, sive perseverant. Quid enim oculi gravati, nisi terram respiciant? Idem ego cum multis, mi JESU! experior: quotiescunque enim avertisti faciem tuam à me, factus sum conturbatus.

Iterum venit JESUS: iterum inveniet dormientes. Dicturus eis erat, quousque in judicio mundi, quod tunc agebatur, ventum esset, & quando princeps hujus mundi eijciendus esset foras. Sed quid cæcis loquatur & noctu de potestate tenebrarum, quando nec, quid ipsa veritas sit, surdo judici paulò pòst

pôst explicabit? Ita nempe capacitati auditoris accomodandus sermo est; si audiri cum fructu & intelligi velis. relinque itaque: sed quia amicus est, non derelinquit.

Nam & tertiùm redit: sed & tertiùm invenit dormientes. Prô! quàm multi nocentiùs vigilant, quàm dormiunt isti! Antè cùm venit, Simonem solum allocutus est, non Petrum, pastoris titulo indignum ratus dormientem; nunc in præsenti periculo, alloquitur omnes: surgite. Quid est, quòd vox hæc unica discipulos repentè erigat in pedes: quod paulò antè non potuit omnibus numeris absoluta oratio? Voci suæ, nisi fallor, dedit virtutem, quam daturus est, cùm eadem ipsa vox hoc ipsum, surgite, perstrepentibus undique tubis tam horrisonè pronunciabitur, ut ambæ aures omnibus mundi incolis vel jam prætinnirent, si modò cogitarent, quod Hieronymus comedens bibénsque cogitavit. O bone JESU! pone me juxta te, quando in Majestate tua tunc dices reprobis, Ite; & Venite, bonis.

Necesse est omne, quod vigilat, dormire. Ita somnus non modò fatigationis & tristitiæ medicamentum est, sed etiam pars vitæ. Si tamen ab omni opere cessans homo semper dormiat, non videbitur ampliùs homo, sed nemo; vel certè pro mortuo habebitur. In somni schola multum sanè profecerunt tres Reges, & Nutritius JESU Joseph; nihil discipuli: quia pastores cùm essent, ad hanc scholam non pertinebant, quos nempe respublica exsomnes & vigilantes vult; dormientes & oscitantes irreverenter, contemnit: nunquam enim subditus utiliter vigilat, quando superior dormit. Minus malum videtur, si sopito principe subditus stertat.

Quid mirum, si dormiente Petro inimicus homo Judas superseminet zizania? Vocat JESUS, non respondet: loquitur, non audit. Si rem grandem dixisset tibi, ô Petre! certè facere debuisses. Semper reperiuntur, qui nesciunt, quid faciant, non inter eos modò, qui tam alijs quàm sibimetipsis crucifigunt JESUM; sed inter eos etiam, qui cum JESU in carcerem & in mortem ituros se jactitant. Cùm itaque ignoretis (ô stertens trias) quid agere debeatis, hoc solum habetis residui, ut oculos vestros gravatos

vatos erigatis ad JESUM. Surgite, & ite: quia non habetis hîc requiem. Prô! Quàm falsò dicentur discipuli dormientibus vigilibus rapuisse JESUM; quando dormientibus id fecerunt penè vigiles.

STATIO III.

LOCUS COMPREHENSIONIS.

HIc locus in horto Gethsemani duplici maceria clausus, distans à loco orationis quadraginta gressus, tam angustus est, ut unus tantùm homo commodè transire queat. Cùm verò ad nihil aliud serviant duæ illæ maceriæ locum sanctissimum claudentes, quàm ut frustra horti partem occupent; non nisi divino consilio factum credi potest, quod à Turcis & Infidelibus ablatæ & destructæ non fuerint. Hîc à Juda osculum accepit JESUS: hîc à suis desertus: hîc à Judæis vinctus est, ut piè creditur, catenâ unâ & funibus duobus, uno manus sacras stringente, altero lumbos, catenâ collo injectâ. Priusquam hinc abeamus, cum Matre dolorosa decem consideranda sunt. 1. Verba Christi. 2. Verba B. V. 3. Argentei. 4 Judas. 5. Ego sum. 6. Judæ osculum. 7. Captura. 8. Petrus gladiatus. 9. Petrus à longe. 10. Malchus.

I. VERBA CHRISTI.

S. Brig. Revel. l. 1. c. 11.

EGo spontaneè tradidi me inimicis meis, & remanserunt amici mei: & Mater mea in amarissimo dolore & fletu. Cùmque viderem clavos flagella & alia Passionis genera parata, processi nihilominus lætus ad Passionem.

II. VERBA B. V.

S. Brig. Revel. l. 4. c. 99.

ISto tempore patiebatur Filius meus, qui appropinquante Juda traditore suo inclinavit se ad eum, quia Judas brevis staturæ erat, dans ei osculum dicens: amice! ad quid venisti? Et statim illi rapuerunt eum.

eum, Alij traxerunt eum per crines, alij sputis deturpabant eum. Deinde loquebatur filius meus dicens: ego reputor quasi vermis, qui quasi mortuus in hyeme latet, in quem transeuntes exspuunt, & calcant in dorso ejus. Sic fecerunt mihi hodie quasi vermi, quia abjectissimus & indignissimus ab eis judicatus sum.

III. ARGENTEI.

SEmper ergo JESUS venalis erit? Venditus est ante Legem in Josepho, sub Lege in Samsone, post Legem à Juda. Ita est: in malo consilio fœmina viros vincit. Etenim cùm Dalila venderet Samsonem, omnes Principes Philistinorum emerunt eum; dedítque quivis mille & centum argenteos. Quid peteret pro JUSTO Judas; cùm nesciat homo pretium ejus, ideóque alios jubet pretium ponere. Nega jam, inter malos quantumvis absentes non bene convenire: par pro JUSTO pretium ponunt tam Isaacidæ quàm Ismaëlitæ. Nam hi Josephum viginti argenteis Ægyptiacis, illi JESUM triginta argenteis Israëlitis licitati; nec in pretio nec in avaritia discrepant. Si tamen avaritia est, mercem tam nobilem tam vili pretio distrahere, quando vel ipse Judas etiam in tenebris videret, seipsum majore pretio dignum O nunquam fuisset pecunia illa!

Singularis sum, quando contra Universi opinionem, avaritiam dico in Juda fuisse vitiorum minimum. Sic tamen est profectò. Nam si sola fuisset, ad amicos Christi eundum erat. Ejus vestimenti fimbriam Hæmorrhoissa, ejus corrigiam calceamenti maximi inter natos mulierum Joannis affines, ejus sputum Bartimæus, ejus scripturam unam adultera, ejus picturam Abagarus Rex pluris emisset. Quid si ad tres Orientis Reges itum esset? Iterum thesauros suos aperuissent, imò evacuâssent. Magdalena non jam trecentos denarios, sed argenteos imò aureos in parato habebat. Sed hæc furum & latronum sunt mercimonia, ad voluntatem emptoris distrahere.

IV. IUDAS.

Bis patremfamilias JESUS memorat, ſemel quando ſeminantem inducit ſemen in agro; vice altera, quando plantantem vineam, utráque vice malè habitum ab ingratis. Quid hæres? De Juda locutus eſt, cui paulò antè in cœna dedit de fructu agri, quem ſeminavit, & vineæ, quam plantavit; ut vitam haberet & abundantiùs haberet: quanquam non erat bonum, ſumere panem filiorum, & dare huic cani: quando poſt buccellam erat ingreſſurus diabolus, ut eſſent duo in carne una. Etenim ut JESUS jam antè dixerat, unus diſcipulorum erat diabolus, Judam tantùm non tota manu indigetans. Credam tentatorem Chriſti in deſerto, apud Judam hoſpitium quæſiviſſe; ut, cùm ibi non poſſet facere panem ex lapide, hîc lapidem faceret ex pane. Op⁹ Dei Judas eſt: opus Judæ ſcelus eſt; quod primum ſine exemplo commiſſum eſt. Quidquid mali factum eſt toto in Deicidio, inimicus hic homo fecit. Vix ipſe ſcelus ſuum credidit, cùm prædiceretur: vix erubuit, cùm patraret, cæcitatem ſuam laternis prodens, non juvans, planè cæcus & cæcis ducatum præſtans, ut ambo in foveam cadant. Quanquam mentem nemo novit, niſi qui habet; fronti tamen tuæ, ô perfide! nulla fides. Specie vultûs tui non comprehenduntur mores: & abominabile Domino eſt cor tuum, quia pravum: & nunc verè ſcimus, quia dæmonium habes. Homo unanimis haberi vis, quia paulò antè dulces cum JESU comedebas cibos; ſed doli tui non eſſent doli, niſi tegerentur. Adulari ſciunt omnes avari; & ſæpe ſub agnina pelle, lupina mens latet. Oſcula fraudulenta ſemper mala, hîc peſſima. Sed ita faciendum erat; quia nemo venenum temperat felle. Ridet improbus, ut mordeat: oſculatur, ut occidat; dátque ſignum, adeſſe ſignum, cui contradici impunè poſſit. Ecce ô JESU! Peccatorum legatus labijs te honorat, cor autem ejus longè eſt à te.

Quantumvis in quavis cœna peccatorem convertit JESUS; non tamen convertere potuit in quavis cœna quemvis peccatorem. Nam Judam quanquam etiam pedum lotione præparâſſet, convertere tamen non potuit. Omnem homi-

nem, quocum JESUS familiariter tractavit, amicum sibi fecit, præter Judam. Amice, inquit, ad quid venisti? Quomodo amice huc intrâsti? quid ultrà? Etiam peccanti consentit*, amicus peccatorum; quia amicè alloquitur: certè vel apud Judicem JESUS consensisse diceretur, quia peccanti se amabilem præbebat.

Optime JESU! Ecce peccat in te frater tuus: corripe eum inter te & ipsum solum. Sed neque te audiet; neque si dixeris Ecclesiæ, Ecclesiam: quia publicanus est. Si dicas de fluxu & refluxu gratitudinis, de magnete beneficiorum, de musica terrestri concertante cum cælesti, id est, gratitudine, non audit; vel si audit, non capit.

Credit seipsum JESUS Judæ; licèt Judas se non credat illi. Nec opus est, ut quis testimonium perhibeat de homine hoc: ipse enim JESUS scit, quid sit in homine, & quis in eum post buccellam intraverit. Veniat illi laqueus, quem ignorat, & captio, quam abscondit, apprehendat eum, & in laqueum cadat in ipsum, ut gutture, per quod proditionis exivit vox, stringatur. Cælum inter terrámque necandus est, qui terræ cælíque Dominum tradidit necandum.

Semper tibi, O JESU! Cum latronibus negotium est: sine illis nec nasci, nec vivere, nec mori potes. Sedit Judas jam dudum in Christi consistorio, sessurus etiam in cælo Judex, nisi judicium sibi manducâsset bibissétque. Quid mirum, aluisse illum in sinu viperam; etiam tum, quando cum JESU simul dulces capiebat cibos, si post buccellam intravit in eum Sathanas; quando adhuc esca ejus erat in ore ejus? Vide, quàm non sit bonum sumere panem filiorum, & mittere canibus, & margaritas mittere ante porcos: nam & illi revertuntur ad vomitum, & isti conversi largitorem disrumpunt. Omnis fur malignus est, & dignus, qui laqueum accipiat pro sandapila. Poterat JESUS, ne sibi suíque noceret, sibi suísque cavere: ipse enim sciebat, quid esset in homine. Sed quia, ut leges aiunt, furem indicare nemo tenetur; tacuit & ipse, dissimulans peccata hominis.

Habuit JESUS Judam villicum iniquitatis, qui fodere cùm non valeret, & mendicare erubesceret, neque quos remitteret cados olei

aut modios frumenti, haberet, ipſum Dominum vendidit, ut faceret ſibi theſaurum, & amicos de mammona iniquitatis, theſaurum tineis & furibus expoſitum, quia in manu furis. Nec ab alio diffamatus eſt, quàm à ſeipſo: Dominus enim licèt ſciret; furis tamen pepercit honori, parum putans, parcere nocenti, niſi etiam parceret nocentis pudori. Habes nunc infelix anima multa bona repoſita in annos plurimos: requieſce, comede, bibe, epulare. O miſer! O ſtulte! Hac nocte animam tuam repetunt à te. Quæ autem tanto tuo damno paraſti, cujus erunt? Ærarium uti correipublicæ eſt, ita & avari, qui nunquam ſolus eſt: eidem enim menſæ nunquam non aſſidet dæmon.

V. EGO SVM.

PHiliſtijm ſuper te, ô diviniſſime Samſon! Sed qui ligare te veniunt, ecce ceciderunt, quaſi qui operantur iniquitatem, nec potuerunt ſtare. Timor nempe impiorum eſt teſtis nequitiæ ipſorum, & conſcientia peccati formidinis mater. Atque hoc in Paſſione ſua fecit initium ſignorum JESUS. Sed eia, mi JESU! dic obſecro, in quo ſit tua maxima fortitudo, & quid ſit, quo ligatus erumpere nequeas; vel quo ligatus poſſis affligi? Nullo, inquit, niſi amoris vinculo.

Mirùm quantum JESUS ubique Divinitatis Humanitatiſque argumenta miſcuerit. Vix natus ut homo adoratur, ut Deus à paſtoribus, Regibus, Angelis. Fugientem hominem idola colunt pro DEO. Quem mater præſentat ut hominem, Simeon veneratur ut Deum. Vix à Baptiſta abluitur ut homo, vox Patris Deum proclamat, Angeli ei ut Deo ad menſam ſerviunt, qui ante eſurijt ut homo! Pavebat jam ut homo; jam unica voce terret, ut Deus.

Bonus Paſtor cuſtodiens ſuper grege ſuo noctis vigilias, videns lupum venientem, occurrit intrepidus & animam ſuam dat pro ovibus, quia ipſius ſunt. Verè nomen tuum ô JESU! quod quærunt hi, eſt mirabile. Ego ſum, inquis, paſtor bonus, vitis vera, lux mundi, Reſurrectio & vita. Ego ſum Meſſias, Panis vitæ, Oſtium, Via, Veritas, & Vita. Ego ſum denique, qui ſum. Ut ergo JESUS dixit, Ego ſum,

ſum, ceciderunt retrorſum: nec mirum. Hic namque cultus nomini debetur divino. Pavido fortíque cadendum eſt, ubi & quando auditur. Flectendúmque omne genu ſitu vel prono vel ſupino, antrorſum vel retrorſum. Cecidit audito hoc nomine Pharao, cecidit Saulus: cur non & hi cadant, flectántque genua retrorſum etiam nolentes? Sic JESUS Leo de tribu Juda rugitum moderatur, cùm vult: dátque eidem voci ſuæ virtutem diverſam; & qua amicos in cœnaculo, & in mari timidos animat, hac eadem ſervos in horto audaces exanimat. Atque hoc fecit judicandus ab his: quid faciet eos judicaturus?

VI. IVDÆ OSCVLVM.

O Bone JESU! Quid venit iſte inſanus ad te? Attrita fronte eſt, & duro corde, & amicus eſt ſolo nomine; licèt ſit ex domeſticis tuis. Certè dilectio ejus non eſt ſine ſimulatione; adeóque vera non eſt. Labijs te honorat, cor autem ejus longè eſt à te. Amoris pignore vulnus infligit: pacis inſtrumento mortem irrogat, alter Joab; niſi quòd cum pluribus gladijs & armis non tanquam ad amicum, ſed tanquam ad latronem veniat. Adhuc eo loquente incivilissimus apparitor ſupervenit, interloquitur, & ſaluberrima loquenti interſtrepit importuna ſalute, & oſculo importuniore. Sine hâc impudentia fuiſſet, ſtetiſſet Petrus ad ignem, cæteri non fugiſſent.

Malus Sacerdos turpe oſculum offert in Altari faciei Chriſti: & quem olim Reges in ſtabulo adorârunt, hic ſacrificulus ipsâ in arâ prodit, ſimoniam conventionalem (nam de pretio convenerat) ſigillo oſculi ſubſignans, priuſquam de Simone ſciretur. Ad pedes JESU admitti, Magdalenæ pro gratia fuit: Præcurſor Joannes nec calceamentorum corrigias tangere præſumit. Hic ſanctiſſimi premit ora viri, vir Belial, & de ore ad os, de facie ad faciem loquitur, nec Dei amico Moyſi cedens: nam & ipſe ſcilicet amicus venerat.

Oſculum Judas paulò antè ad pedes ſuos à JESU depoſitum cum lacrimis acceperat. Ne diu debitor eſſet, citò nec ſine fœnore reſtituit in ore cum riſu, diligi ſe à Deo tanquam hilarem datorem jactitans.

Ita quaſi per riſum ſtultus operatur ſcelus; & peccator, cùm in profundum venerit, contemnit. Neminem à ſe JESUS repellit. Malo tamen cum Magdalena pedes, quàm cum Juda faciem Chriſti oſculari.

Signum dedit Judas, ne Chriſtus elaberetur, & per medium illorum tranſiret; ut fecit, è monte Judæis ad præcipitium ductus. Ne fugeret in montem ſolus, ut fecit, à Judæis ad regnum quæſitus. Ne abſconderet ſe ab eis, ut fecit à Judæis quæſitus ad mortem. Ne in tenebris rediret in Ægyptum, ut fecit olim puer, cùm fugeret Herodem. Ideo ſignum proditor edidit, & ſignum magnum. Nemo enim Apoſtolorum majus fecit.

O potens vox, Ave! Sive antrorſum ſive retrorſum legatur: ſi eâ Virgo appelletur. Hac enim voce Mundus poſt creationem deſtructus eſt, & poſt deſtructionem recreatus; quando eam ſeriò pronunciavit Gabriel. Pretioſa vox, quam ipſe JESUS vice non ampliùs una, & quidem diſcipulis, & incluſis, ne quis præter amicos audiret, dixit. Deinceps illis non perfunctoriè vetita hæc vox eſt, ne eam audirent peccatores. Judas etiam ridet, etiam jocatur: Ave Rabbi. Didicere ab hoc malo Magiſtro diſcipuli non meliores, cámque repetitis vicibus ingerunt cum contumelia: Ave Rex Judæorum. Ita per riſum ſtultus operatur ſcelus.

Poterat ſanè JESUS dicere Judæ: amice quomodo huc intrâſti? ad quid veniſti ad me tanquam ad latronem, latro ipſe & fur, qui non per oſtium, ſed aliunde ingreſſus, mereris, ut quia in tenebras ingrederis horti interiores, ex horto ejiciaris in tenebras exteriores? Non ita JESUS meus; ſed infido oſculo reponens amicum: amice, inquit, aſcende ſuperiùs, & te emenda. Quare inſidiaris Animæ meæ, ut occidar? Multa bona opera feci tibi, propter quod horum vis me occidere? Quare impoſuiſti mihi? Malum opus operatus es in me.

Tradidit itaque JESUM Judas Cohorti, Cohors Annæ, Annas Caiphæ, Caiphas Pilato, Pilatus Herodi, Herodes Pilato, Pilatus Voluntati Judæorum, Judæi Militibus, Milites Cruci, Crux Morti: ut non jam luderet in Orbe terrarum Deus, ſed luderetur. Quid quòd & ipſe Pater ita dilexit Mundum

dum, ut Filium hunc suum unigenitum, in quo sibi complacuit, daret, non sine consensu Matris, nec ipso Filio dissentiente, qui voluntatem Patris suæ præferens, obediens erit usque ad mortem, ut nobis verè natus, nobis verè datus, nobis verè mortuus jure dici possit.

O anima mea! sic semper respondet JESUS, ut nemo interrogare audeat: sic interrogat, ut nemo respondere possit. Adam ad vocem Justitiæ divinæ se abscondit: Christus ad vocem Justitiæ humanæ se præsentat, nec amicum falsum nec inimicum verum pensi habens. Salutat omnes pacificè: quem quæritis? voce, quæ quosvis rebelles abire faciat retrorsum, sive à Christo, sive à Christiano Vicario ea compellentur irruentes, quod in Urbano quarto vidimus. Cave: ut amicus animæ tuæ dimidium est: ita cane peiùs & angue fuge familiarem inimicum. Nec amico laudanti nec inimico detrahenti unquam crede.

VII. CAPTURA.

QUem cæli cælorum capere non possunt, hi tenebriones capere tentant, non jam in sermone, sed vinculis & funibus, noctu cum facibus, ut furem: quia se ut furem minabatur noctu venturum, utique non sine lucernis, in quibus & urbem & orbem scrutetur. Si ibi quisque citari debet, ubi habet officinam, Christus (vel ipsomet teste) in templo, ubi quotidie docebat, in iisque erat, quæ Patris erant, citandus ad judicem erat. Sed neque citari debet sacra faciens, Uxorem ducens, aut instruens funus. Hæc tunc JESUS in Oliveto agebat. Nam & sponsalia celebrabat cum Ecclesia, post libellum repudij Synagogæ datum: & summum Deo sacrificium summus Saoerdos in diem alterum parabat: & funus sui ipse non sine luctu adornabat. Citatur tamen ad Judices contra jus & fas. Aderat non jam cohors, sed turbæ, quæ irruebant in eum. Quòd si quovis in homine harum turbarum legio dæmonum fuit, quot fuisse oportet dæmones? Vix duodecim legiones Angelorum suffecturæ tanto numero fuissent. Noluit JESUS Angelos olim paoem portantes, secundo cum Dracone prœlio committere.

Solus

Solus eſt JESUS, quia ſine amico eſt. Adſunt Apoſtoli ad unum omnes. Et quidem Judas ſolus, quem abeſſe præſtaret, ſigna amici præbet: cæteri ſibi conſulunt, & cor habent in pedibus. Ligatur itaque JESUS vinculo triplici, ut difficulter rumpi poſſit, & quidem volens, catenâ unâ in collo, funibus duobus, lumbis manibúſque cingendis, quibus nempe paupertas caſtitáſque religioſa non obſcurè votis ligata portenderetur. At quia homo cervicis duræ eſt, catena ferrea collo debebatur; ne dura & calloſa cervix obedientiæ jugum excuteret. Ita JESUS meus ſponte ligatus (nam verbum Dei non eſt alligatum) ſponte faciem ſuam dedit percutientibus, & genas ſuas vellentibus. Subvenite Sancti DEI, occurrite Angeli Domini, & ſi voluntas in cælo eſt, rumpite vincula. Sed nos noſtris vinculis ſolui non poſſumus, ſi ille ſolvatur. Unum in vinculis fratrem manere oportet, ut cæteri ex Ægypto liberi redeant. O vincula tua benedicta, mi JESU! quibus dirupiſti vincula mea. Ecce nunc verè trahis me poſt te, non jam in funiculis Adam ſed in vinculis Charitatis. Ecce alter Joſeph relicto Humanitatis pallio in manibus Synagogæ adulteræ, in vincula conjicitur. En Arca capta eſt, & translata gloria ab Iſraël. Mihi his vinculis adhærere bonum eſt, & exultare in Deo JESU meo. Nunquam enim cautiùs Chriſtum ducimus, quàm cùm ſinimus nos ab eo duci.

Pacificus eſt ingreſſus tuus, mi JESU! Et velut Sponſus de thalamo orationis tuæ venis obvius quærentibus te. Quærit te namque Zachæus, ut videat; Herodes, ut perimat; Pilatus, ut dimittat; Judas, ut tradat; Principes plebis, ut perdant; Principes Sacerdotum, ut capiant; falſi teſtes, ut convincant; milites ut vinciant; Judæi, ut crucifigant: ligare hunc divinum Samſonem veniunt omnes. Eam ob cauſam media nocte clamor factus eſt, exite obviam ei. Quibus tu, O JESU! ut viam faceres breviorem, obviam iviſti, & ne ſine comitatu eſſes, tuos dormientes ire tecum jubes. Surgite eamus. Surgunt ad vocem tuam, licèt ſomno gravati, eúntque. Quid mirum, quando etiam ſepulti audient hanc vocem Filij DEI, & vel nolentes ſurgent.

Duodecim sunt horæ diei, & totidem noctis, quibus potestas tenebrarum dominetur: ut penè divisum imperium cum cælo videatur habere infern⁹. Deprehendit Deus hominem in meridie: Homo comprehendit Deum media nocte. Ecce homo! qui incidit in latrones, qui non abibunt, donec cogitationes suas pessimas compleant, & semivivum (Divinitate intacta) relinquant. Cadunt, & post casum ipso jubente surgunt: quia adest is, qui positus est in ruinam & resurrectionem multorum.

Primum Chaos tu, ô JESU! ordinâsti verbo non ampliùs uno, Fiat. Chaos secundum, priore majus, Mater tua eodem verbo, Fiat, redegit in ordinem. Dic, Fiat, & fiet etiam ex hac tempestate tranquillitas magna, tertiúmque hoc chaos ordinabitur. Filios tonitrui Boanerges tecum habes; & non tonas? In mundi prætorio, & tribunali tuo Monte Oliveti es, & loco judicij; & non fulminas? Nempe cautè te hinc ducunt Judæi, quem huc incautè duxit amor. Cohors ergo & tribunus & ministri Judæorum comprehenderunt JESUM, & impetum fecerunt unanimiter in eum, tenéntque, quem nec cæli cælorum, nec sponsa tenere potuit. O JESU! tradit nunc te amor tuus in manus peccatorum, qui supra dorsum tuum fabricabunt: nec te portabunt in manibus, ut Angeli; quibus mandatum est de te: neque multùm curabunt, si fortè offendas ad lapidem pedem tuum: Non hæc ignorâsti, O bone JESU! Et tamen non dubitâsti manibus tradi nocentium.

Servus ille, qui tenens conservum suum, suffocabat eum, debitúmque poscebat, punitus est sine misericordia. Quid expectent hi debitores, qui creditorem suum adeò fortiter ligant, ut tantùm non suffocent; adeò injustè tenent, ut nec gentilis Pilatus causam hujus invenire possit? Ecce in manibus vestris nunc est. Veruntamen scitote & cognoscite, quia si occideritis eum, sanguinem innocentem tradetis contra vosmetipsos, & contra civitatem istam, & habitatores ejus.

Semel aliàs Deus loquitur, & secundò id non repetit, quando suis loquitur; quia opus non est: intelligitur enim à discipulis Magister, ab ovibus pastor, quia noverunt

 eum.

eum. Vobis verò, qui neque ex discipulis nec ex ovibus ejus estis, bis dixit illud, Ego sum: nullo fructu. Cadendum nempe est tam Christi quàm Christianorum persecutoribus, & rarus erit, qui melior resurgat. Popule stulte! quid fecit tibi JESUS, aut in quo tibi molestus fuit? Venient dies, quando & ipse scrutabitur Hierusalem in lucernis; tunc peccatum vestrum apprehendet vos.

Si quem, O anima mea! propter ligatum vinculis JESUM concipis dolorem, tempera; nam ut tu solvereris, ipse ligatus est. Vincula ejus nobis sunt alligatura salutis, solvúntque colligationes impietatis nostræ. Si nescis, funes isti sputis blasphemiarũ torti, non ligant modò, sed & cum tormento stringunt. Ita nempe, mi JESU! funes peccatorum nostrorum circumplexi sunt te: quin etiam ipsius inferni funes circumdederunt te, sed volentem, & liganti Patri (quod in Isaaco prævidit antiquitas) non repugnantem.

Captus itaque JESUS in peccatis nostris, velut alter Manasses gravatur multo vinculo ferreo; ut non possit attollere caput suum, & non sit ei respiratio, ut confringeret catenas cervicum nostrarum, & incederemus erecti. Ferrea JESU vincula licèt sint, amoris tamen vincula sunt, quæ nec mors nec tempus edax rerum rumpat.

VIII. PETRVS GLADIATVS.

Est aliquid, amicum habere unum, qui contra plures eat. Petrus quia amabat JESUM, quia jussus accipere gladium, quia prostratos & territos vidit, quia, cùm rogaret JESUM, num percutere deberet in gladio, JESUM vidit tacentem adeóque consentientem, cordatior cæteris, vivit Dominus, inquit, & vivit anima tua, ô Magister! quia non derelinquam te. Vix sermonem absolverat, extendens manum exemit gladium suum, & percussit servum Principis Sacerdotum. Sed quia ille declinatione corporis vitavit ictum, casso vulnere delatus in caput, peccavit in aure, cujus auriculam amputavit dexteram, infami vulnere: sed honestiore dignus non erat. Placet affectus tuus, Petre! Placet & gladius; sed quid hic inter tantos? Ut hi abeant,

eant, nec brachio nec manu Dei extenta opus est: digitus unus sufficeret, quo si iterum scriberet JESUS in pulvere terræ, vel ad faces suas, vel ad lunam, quæ nunc plena est, legeret quisque, quæ non vellet, & unus post unum exiret horto, incipientes à Senioribus; ita ut JESUS remaneret solus. Terreri gladio si quem expedit, non tuo sed Angeli gladio terrendus est flammeo paradisi, qui ingressuros arceat, qui secet medios maledictos senes & seniores, qui vel jumenta prophetarum terreat, qui bis acutus è Judicis ore prodeat.

Bona res statim est magna; sed magna res non statim est bona. Quis tantum animum in tantillo homine neget esse magnum? non perinde dixerim bonum. Unus se opponit pluribus, armatus quidem armato, sed imperitus peritis: ut vel hinc videas, quantùm audacia distet à fortitudine. Ultra fortium desideria progreditur audacia, quæ temeraria semper cùm sit, bona tamen nunquam est. Hinc justè affectus punitur, etiamsi secutus non sit effectus. Educit, tollitque in altum machæram suam Petrus, animam Malchi cum corpore, vel certè à corpore divisurus. Et ecce ictus tam librati impetûs in auriculam impingens furibundum se magis fuisse, quàm timendum probat. Erat enim tunc Petrus velut homo manum habens aridam. Vindicta etiam in sancto, etiam in suam defensionem facta, Christo displicet. In Sodomis è cælo factam noluit videri à suis; ne sciretur quid esset vindicare: & illa obriguit, quæ narrare visam ultionem poterat. Et vel ideo sibi reservavit eam DEUS, ne nobis noceremus; cùm nemo damnum inimici etiam cogitet sine suo.

IX. PETRUS A LONGE.

RECordor dixisse Petrum, sequar te, ô Magister, quocunque ieris. Quare non possim te sequi modo? in carcerem & in mortem ibo. Sed mutavit sententiam Petrus. Animæ oculus mens est, pes amor. Quantum quis amet scire cupis? quàm propè sequatur, inquire, & judica: non errabis. Primos fervores meos & desideria in Petro agnosco. Prô quantum quámque citò remittunt! quis credidisset,

ſet, tantam audaciam in tantum abituram timorem? tantum fervorem in tantum teporem, tanta propoſita & promiſſa in tantum nihil deſitura? Nempe cogitatis verba, verbis facta ſunt difficiliora: & impetus non rarò pro virtute habetur, audacia pro fortitudine, temeritas pro robore. Qui in via virtutis alacer currit, non laborat; qui ignavè ambulat, & Chriſtum ſequitur à longè, paſſim impingit & laſſatur.

X. MALCHVS.

QUi habet aures audiendi, audiat; qui non habet, huc accedat ad medicum: iis enim ſolùm à digitis probè reficitur homo, à quibus primùm eſt factus. Hæc manus reparat etiam in ſervo hanc lubricam facultatem, cum qua homo tam malus eſt, ſine qua tam miſer eſt.

Vis ſanus fieri ſerve nequam? vult piger & non vult: quia fide caret, quæ aliàs in ſervo ſumma virtutum eſt. JESUS tamen novo privilegio hunc ſine fide ſanat, Pontificem Summum credo reveritus, cujus ſervus à Petro ſauciatus eſt, contra expreſſam Bullam Cœnæ, quæ incipit: Mandatum Novum do vobis, ut diligatis invicem, quæque jam primùm noviter emanavit. Præterquam quòd nihil minùs quàm aures deeſſe hominibus voluerit; ad quarum eruditionem ignitas miſſurus erat linguas è cælo. Accedit, quòd, ut lingua mali pars peſſima ſervi eſt; ita aures ubi deſunt, frugi eſſe, ut velit, non poteſt. Hunc audite, inquiebat nuper de cælo Pater. Huic Præcepto parere Malchus ut poſſet, aurem JESUS apponit, & etiam neſcio quid inſuſurrat. O ſi illa, quæ JESUS Malcho in aurem dixit, ſcirem! prædicarem ſuper tecta.

Ecce ſanus factus es, ſerve nequam: Vade, & jam ampliùs noli peccare; ne quid deterius tibi contingat. Sed ut ingenium ſervitute opprimitur; ut ei, qui ſervivit, ſervire durum eſt; ut ſervum non velle mentiri, nova religio eſt: ita tinnient ambæ aures ejus, qui auditurus eſt colaphum ab hoc ipſo ſervo medico ſuo impactum. Profuiſſet Malcho, non audiſſe, quid Chriſtus reſpondiſſet Pontifici. Quis credat tantam ingratitudinem? Sed multa in aulis uſuveniunt, quæ inexper-

experrtis relata fidem perdunt. Sic nempe donis DEI fruimur, & impudenter abutimur. O Mater dolorosa! præbuisti olim lactenti Jesu mamillam; ut ipse præberet percutienti servo maxillam, etiam cum spe veniæ. Nullas enim metas habat divina JESU clementia. Sit, qui invocet; erit, qui exaudiet: sit, qui pœniteat; erit, qui indulgeat.

VIA II.

MATRIS DOLOROSÆ

IN VALLEM JOSAPHAT.

VAllis hæc urbem inter est & montem Oliveti, vix ultra duo millia passuum porrecta, torrente Cedron, & antiquitate nobilis; sive à præteritis trahas originem, sive à futuris finem prospicias. Dicamus prius

DE PRÆTERITIS.

EST hîc primò torrens Cedron de quo infrà. Est ad murorum urbis pedem caverna angusta in saxo, ubi S. Petrus peccatum suum amarè flevit. Est hîc villa Gethsemani distans ab horto ducentis passibus, cujus præter pauperes & paucas domunculas vix vestigium superest. Est hîc sepulchrum B. V. S. Josephi, S. Joachimi, S. Annæ. Hîc cùm in cælum assumeretur, creditur tradidisse S. Thomæ cingulum, de quo multa tradunt orientales Christiani: quorum aliqui de Cinctura vocantur, quòd simili cingulo hodiéque utantur. Ipse locus aliud nomen nunquam inter Christianos sortitus est, quàm de Cinctura. Est etiamnum in memoria locus, in quo Virgo Beatissima stetit, oravítque, ne Protomartyr Stephanus, sub crepitantium imbre lapidum hoc loco concideret. Est hîc sepultura Judæorum sponte ab ipsis electa; ubi Judas laqueo sibi gulam fregit, ædificato insuper oratorio, cujus vestigia hodiéque apparent. Dignus profectò tali loco patronus, & oves

& oves dignæ tali pastore & parocho. Súntque inter Orientales, qui existiment, in die Judicij terram damnatis recipiendis eo loco creparuram; ubi fur hic & latro suspensus crepuit medius. Trecentis ab hinc passibus eadem in valle, sub ingenti lapidum cumulo est maledicti Absalonis sepultura. Hanc Turcæ, Mauri, Judæi, Christiani parentes liberis suis monstrant: & ne terra sit levis tam inobedienti filio, jussos projicere lapidem in hunc cumulum, docent obedire. Vix quinquaginta passus progressus, offendes sepulchrum Zachariæ, filij Barachiæ, qui occisus est inter templum & altare. Monumentum est rupi incisum, frontispicio columnato & pulchra Architectura nobile. Est hîc Natatoria Siloë, ad quā ex præcepto Christi cæcus venit, lavit, & vidit. Proximè locus est, quem hodie fontem Rogel appellant: ubi ab impio Manasse Rege sectus est Isaias Propheta. Sunt etiam non longè ab hoc loco fundamenta turris, quæ casu suo decem & octo homines tempore Christi oppressit. Est hîc nominatus ille fons, ad quem B. V. sæpius lavâsse pannos creditur. Vix trecentis ab hoc passibus, puteus ille est, in quem fuit injectus ignis sacer tempore Machabæorum, repertáque ejus loco aqua crassa, quam accendit ignis è cælo delapsus. Est in hac Valle Ager Haceldama, triginta argenteis à Juda projectis in sepulturam peregrinorum emptus. Nunc habet testudinem muratam, longam pedes septuaginta duos, latam quinquaginta. Fornix septem foraminibus hiat, projiciendis peregrinorum cadaveribus. Hinc creditur abstulisse terram S. Helena & Romam vexisse eam in sepulturam, quæ hodiedum destinata est peregrinis. Est insuper in hac Valle locus, qui vocatur Vallis Tophet seu tympani, ideo sic dicta, quòd cùm in honorem Baal cremarentur infantes vivi, tympanis pulsatis, miserè morientium clamor superaretur; ne parentes exaudito liberorum ejulatu mitescerent, & pietas frigeret. Est etiam hîc ager fullonis, in quo Isaias Propheta stans (primus B. V. præco) illud intonuit: Ecce Virgo concipiet & pariet Filium. Non longè hinc caverna illa est, in qua Jeremias lamentationes suas composuit. Rupi incisa specus est longa passus quadraginta, lata trigin-

ginta, & ſex alta. Omnis undique fornix pilæ, qui ex eadem rupe eſt in medio, incumbit, diſtátque ab urbe non plus trecentis paſſibus. Sunt qui experti affirment, neminem hinc egredi, niſi triſtem. Ultimum, quod huic Valli Joſaphat famam auget, eſt ſepultura Regum Juda, inter miracula mundi meritò computanda, propter ingenioſiſſimam lapidum commiſſuram à nemine hactenus intellectam, ideoque in hodiernum uſque diem inimitabilem. Hæc pauca fideliter excerpta ex auctoribus ſufficiant. Jam loquar

DE FVTVRIS.

VErè ludit in humanis divina potentia rebus tragœdiam nimis quàm ſeriam; ut neſciat homo, quid ſit paratragœdiari. Scena Mundus, choragus Numen, actor homo, ſpectaculum factus Deo, Angelis, & ipſis actoribus hominibus. Ubi ſeptimo die immenſo apparatu ſumptuoſiſſimæ ſcenæ ab ipſo chorago Deo inſtructæ, ſiparium reductum eſt, prodijt homo: & ut haberet, cum quo loqueretur, ſequi juſſit conſortem. Hi primi ſermones oppidò non longi de arboribus inſtituti ſunt in prologi vicem, támque perſpicuè portendebant totius actionis curſum finémque; ut dubitare nulli ſpectatorum licuerit de triſtiſſimo totius actionis ſucceſſu: cùm viderent ſubitâ unius pomi incantatione factum ex divite pauperem, ex felice infelicem.

Quinque actibus ad Leges Tragœdiæ diſtinguitur actio. Spectanda ſemper nova & nova prodibunt. Mira hîc animalium varietas, infiniti plantarum fructus, amœnitas camporum, cæli ſplendidiſſima venuſtas, & quid non? vidit ipſe Deus Spectator, (nam quievit ab opere ſuo) quòd omnia eſſent valde bona. Viſæ ſunt hoc in actu primo primæ nuptiæ, primæ veſtes, primi ruſticorum labores, primæ urbes, prima ex omni genere inſtrumenta muſica, primi ex metallis cocti labores, primi animalium partus, & juvenis mundus. Inſuper primæ pluviæ, primæ terrentis cæli minæ, tonitrua, fulmina. Sed & viſus eſt primus ex homine, factus non homo, quia mortuus triſtiſſimâ metamorphoſi. Abel is fuit jam ſine patre, matre, fratre; quanquam credebant

debant pater materque, filium se videre, & Cainus fratrem: nec frater tamen hujus fuit, nec illorum filius; quia non homo.

Finem intermedij loco dedit actui primo prodigiosæ Majestatis scena aquea, repentè sic mutata, ut nihil non nataret. Nempe tam parùm necesse est, prodire bis in eandem vitam. Omnia pontus erant, deerant quoque littora ponto: & nihil spectatu dignum aderat, nisi pontus & æther; si navim unicam excipias, quæ sine remo, sine velo, super aquas ferebatur, quò eam Spiritus, qui & ipse olim super aquas ferebatur, propellebat. In hac navi videre erat omnia, quia omnia inerant. Tantùm aquæ requirebatur; ut pomum, causa tragœdiæ, nataret.

Reductâ repentè scenâ prodijt Noë cum suis non tam è scenâ, quàm è tumba, daturus principium actui secundo. Nova iterum in hoc actu penè omnia. Nam fuit, qui prima vina funderet, mirante Mundo tam mansueti liquoris tam severam tyrannidem. Visus quoque est primus filius, qui sperneret genitorem, quíque pro vero Numine adoraret falsum, detestandis ritibus. Detecti in hominibus novi morbi: Nam auri sacra fames torquebat, & ferrum è visceribus terræ erutum in viscera hominum adigebatur; ut ipsum erubesceret, & sanguinem fleret. Struebatur alibi nova fabrica, & ex superingestis montibus ingens turris surgebat cælo æmula, ex qua prodirent homines posthac locuturi septuaginta duabus diversis linguis, vix tantæ garrulitati suffecturis: quæ finem nondum dedissent actui; nisi fuissent tres juvenes cælo delapsi, qui igne de cælo devocato accendissent intermedium, tremenda majestate igneum. Nam & curiosè in hanc scenam respexisse nocuit, spectato demum tanto cinere, cujus penuriâ hactenus laboratum est.

Tertio actui fecit initium venerandus senex, innumeram post se tracturus actorum posteritatem, unico comitatus filiolo, & tantùm non posthumo. Novum hic parabat spectaculum: nam & filium, unde tanta expectatur posteritas, interficere parabat, & uno in collo resecare omnium vitam, & quidem in speciem sacrificij. Sed è cælo monitus pepercit, passúsque est in scenam prodire tantum acto-

rum numerum, qui ſtellas cæli & pulverem terræ æquare poſſet. Jucundus novis eventibus hic actus fuit, quanquam ſerijs. Nam ut fratrum gratia quandoque rara fuerit; nunquam tamen adhuc viſus fuit frater vendi à fratribus novo mercimonio. Tanti his argentum erat, pro auro etiam patrem dediſſent. Hactenus dominæ ſervis imperabant; nunc mutato officio ſervum rogabat domina, & ſibi ab ipſo imperari, etiam imperabat. Periculoſus carcer in pœnam datus juveni, quòd tam inverſis imperijs non paruerit, & ſervi loco haberi maluerit, quàm domini. Parabat ingreſſum in ſcenam veritas; ſed per ſomnia, & in tenebris. Nam nudam apparere & in publico, quanquam ſine verecundia poſſet, tamen jam tunc in Aulis periculoſum erat. Tutiùs progreſſa fortuna eſt variabilis, ſed potens. Hæc repentè ſervum evexit in regiam; carcerem in thronum, compedes mutavit in torques, nunquam priùs viſa metamorphoſi. Primi hoc in actu viſi, qui ſiderum curſus ſive menſi ſive mentiti, ſidera appellarent ut homines; colerent ut Deos. Producebatur legum humanarum codex, Ægyptiorum inventum, non ſine ſtupore agricolarum; qui quantumvis robuſti, non perinde tamen libros tractare poterant, ut ligones. Credebatur inter hæc duraturus hic tertius Tragœdiæ actus pluribus ſæculis; niſi ingentis ſpeciei vir in Ægypto natus, & ex Nilo renatus, mirabili fortuna è Matre & Nilo, prodijſſet in ſcenam ex Aula, & intermedium dediſſet aëreum primùm, deinde etiam aqueum. Viderat is primam flammam non voracem, & tantæ abſtinentiæ; ut rubum, licèt ariditate ſua coctum, non guſtaret. Cælum vir hic in meridie tenebris obduxit palpabilibus, terram opplevit ranis, aërem denſavit muſcis & crabronibus, aquam ſanguine tinxit, agros oppreſſit grandine, primogenitos quoſque toto in Regno quavis in familia nocte una interemit: ut taceam de morbis. Viſu dignum erat, ſcipionem, quo vir nitebatur, abire in ſerpentem; hunc iterum reverti in lignum, & officium facere, quod aliquantiſper deſerverat. Hæc omnia, quod mireris, non agebant ut operoſis, ut fieri amat, machinis & vectibus. Pro vecte, pro machina, paſtoris virga fuit: hæc pro ſitu va-

rio varia edebat portenta. Abjecta in terram abibat in serpentem: virga hæc partu vix credendo enitebatur copiam vermiū: aqua contra naturam suam tota quanta erat, abibat in sanguinem. Ipsum hoc intermedium tragœdiæ loco esse poterat. Nam in tristissimam catastrophen desinebat, quando tota Ægypti nobilitas & potentia unà cum Rege mare irreverenter ingressa, & colorem & nomen aquæ mutârunt. Erubuit namque ipsum mare tantam temeritatem, & hodiedum ideo rubrum vocatur.

Jámque quartus actus mirabili connexione producebatur, quem magnam partem vir ille, cælestibus etiam radijs venustatem augentibus, dedit. Plurima is præter jam dicta in scenam produxit novis noviora: nam & populos docuit sicco pede transire maria, & nubes cælum inter terrámque suspendit, & duris hominibus lapideam Legem è monte tulit digito Dei scriptam, & victum devocavit è cælo, populo suffecturum in quadraginta annos, ipse quadraginta diebus noctibúsque totidem jeiunus. Rupes liquavit in flumina, primúsque fuit, qui sine bile (qua vel caruit, vel usus non est) Reges cum populis pessundaret: primus item, qui, quæ de futuris dixisset, literis mandaret: primus, qui novo cultu doceret venerari Deū non nisi unum. Prodijt inter alios hoc in actu puer, multitudini virorum, & quidem Philosophorum præferendus. Hic secum in theatrum produxit ipsam sapientiam. Multa hic dixit fecítque cothurno digna. Nova mundo Palatia, nova templa & inter omnia celeberrimum vero Deo, nova sæcula, id est, aurea produxit, hoc uno mirandus, quòd è scena abierit, senex quidem, sed bis puer, nempe nunquam gynæceo emancipatus. Secuta est hunc varijs eventibus longa posteritas: dum tandem miris machinis quarto quoque huic actui datum est suum intermedium, quod fessos spectatores posset exhilarare. Pax illa fuit & quies orbis universi, sanè augusta: nam sub Augusti tempora incidit. Non bella, non rixæ audiebantur: adeóque novum erat.

Quintus actus debebatur DEO personato, qui & ipse ludere voluit in orbe terrarum. Ingressus hic est in scenam inter symphoniacorum cælestium non tam choros quàm exer-

exercitus, incognitus tamen, & nocte, licèt non sine luminibus. Unde nec sapientes Reges, nec simplices agricolas latere potuit. Nova hîc producta bella Regis armati contra imbelles infantes, & triumphus grandis. Periere hostium, id est, puerorum quatuordecim omnino millia, ne uno quidem è veteranis regis militibus desiderato, sed nec vulnerato. Novum quoq; fuit, senes eósque Doctores doceri à puero duodenni novam Philosophiam, novas Maximas: servire, esse regnare; vincere nos, cùm vincimur; divites fieri, cùm depauperamur; accipere, cùm abjicimus; laudari, cùm vituperamur; honorari, cùm vilipendimur; nasci, cùm morimur; Doctorum vice piscatores, verbis non retibus auditores tracturos in sententiam, ad nova jura novásque, quas ferebat, leges recipiendas. Novo medendi ordine famam auxit. Nulla pars corporis læsa, quam non felici imò & veloci eventu, nullo fastidio ægri etiam absens quandoque curaret, verbo non ampliùs uno plerumque usus pro pharmaco. Tetigisse ægrum, satis erat: nonnunquam etiam voluisse, aut imperâsse, suffecerat. Quid quod quandoque tantùm non ab inscio virtus exibat, sanabátque tangentes.

Is ipse novam mortem novâ sævitiâ illatam novâ patientiâ, quæ Deum proderet, tulit, egítque animam, quâ scenæ totius actores Universi in aliam velut fusi formam figurámque fuêre, præteritâ meliorem, non sine motu Spectatorum, imò & universæ terræ. Prodierunt Catharinæ, quæ Philosophos confunderent; Theclæ, quæ Tyrannos superarent; pueri puellæque, qui plus ferre possent, quàm carnifices inferre; qui carceres haberent præ palatijs, catastas præ mensis, catenas præ torquibus; qui cùm dolerent, doloris tamen signa non ederent, riderentque inter flammas, digna fortitudine, quæ in ultimum actum reservaretur. Hoc in actu etiamnum luditur, heu! personatus Deus. Cui tamen ut cæteris

Demum ad Tragœdiæ leges tremendâ catastrophe finis imponetur. Epilogum facient omnes, quotquot inducti unquam fuêre in scenam Actores. Vallis ad hoc delecta est Hierosolymæ vicina, ubi præmium pœnámque quisque pro meritis accipiet; prout personam

suam bene maléve egerit. Hâc certè in valle non homines modò sed & Angeli judicabuntur: & licèt intellectûs nostri angustia capere non possit, quomodo capere possit tot hominum myriades tam angusta vallis, vix ultra duo passuum millia porrecta: fiet hoc tamen miris, sed veris modis. Præsens aspicies, quisquis homo es, venientem in nubibus & majestate magna JESUM, cui augendæ nubes ipsæ in peristylia & columnas, in bases & capitella, in arcus & fornices coibunt, & formato ad leges architecturæ cælestis venustissimo hemicyclo, thronum judicij dabunt iride pulchriorem. Angeli corpora sibi formabunt ex aëre, & cælum totum, quantum quantum est, in suos redacti ordines, politissimi aulici replebunt, ad quos in aëra obviam rapientur Christo cælestes hominum animæ, quærendis & uniendis sibi corporibus aliquantulùm intentæ, dudum jam in valle præstolantibus reprobis, eo uno minùs infelicibus, quòd uno qui pede aut oculo natus est, accepturus alterum non sit, quo pati possit. Aderunt his dæmones bestiarum corporibus fœdi, ignémque combusto jam Mundo universo, velut in amphitheatrum spontè coëuntem & damnatos clausurum fovebunt.

Superveniet denique his omnibus Filius hominis, & signum ejus cum Majestate magna, & apertis momento libris conscientiarum, quidquid latet, apparebit: & uti quisque, Accusator, Patronus, Testis & judex factus seipsum damnaverit vel absolverit, Judex ipse surgens extenta manu in omnes sententiam feret, dicétque Reprobis, ite: Venite, bonis. Neque aliud tunc superest, quàm ut ex actoribus Tragœdiæ Electi eant in vitam æternam, & fideles servi intrent in gaudium Domini sui: Maledicti verò, qui toties scenam turbârunt, in ignem æternum & inextinguibilem, qui paratus est Diabolo & Angelis ejus. Nec mora: fissa repentè vallis, & ingenti crepans hiatu, (ea fortassis parte, qua fuit ille suspensus crepuit medius) atque immani præcipitio dehiscens damnatis inhiabit, cunctantésque flamma cogente cum totius Mundi fæcibus inter clamores non profuturos unà cum dæmonibus præcipitatos recipiet, terra iterum co-

ëunte, ne vel memoria eorum Universum inficiat.

Ut ex ordine progrediamur in hac Via Mariana, eã distinguam in duas stationes. Prima erit in loco octo discipulorum. Secunda ad torrentem Cedron.

STATIO I.

LOCUS OCTO DISCIPULORUM.

DIstat à loco trium Discipulorum triginta quatuor gressibus. Hîc velut timidiores, à Christo relicti sunt octo discipuli, non longè à Villa Gethsemani. Priusquam hinc abeamus, cum Matre Dolorosa nobis considerandi sunt

DISCIPULI FUGIENTES.

ECce, mi JESU! Discipuli tui faciunt, quod non licet facere. Pastis jam non pane & piscibus, sed carne tua, quæ verè est cibus; potis sanguine tuo, qui verè est potus, utique non erat difficile, sustinere modicum, quin & triduo. Fugiunt tamen, & animum habent in pedibus. Qui nuper relictis omnibus sunt Te confestim secuti, nunc eadē promptitudine Te relicto omnes fugiunt; & eò leviores habent pedes ad fugam, quò graviores nunc oculos habent à somno. Nempe hoc est, relinquere omnia, cùm ipsum etiam Deum relinquimus. Amici mensæ in die necessitatis non permanent. Et ut etiam unius manus omnes digiti non sunt æquales, ita nec omnes amici sub eandem veniunt æstimationem. Gradus habet amicitia: & quanquam fratrum quoque gratia rara est; tamen vix est animus tam infelix, qui omni careat amico. Sed novum tibi, mi JESU! non est, qui jam dudum inter cognatos & notos inveniri recusabas.

Hoc Matutinum soli tibi cantandum est, mi JESU; nam chorum non habes, qui respondeat; ex quo, qui chorum ducere debebat Petrus, tam longè est, ut audiri non possit, vix videri.

Sed, ô boni, qui nunc fugiendo cogitatis salvare animas vestras, ca-

vere, ne fortè decipiatur cor vestrum, & recedatis à Domino. Credam vos non tantùm non amicos, sed nec servos; quin etiam hostes putabo. Qui enim non est cum JESU, contra JESUM est. Et verò condemnat ipsa fuga fugientes, ut omnes qui Te derelinquunt, ô JESU! confundatur. Sic ô boni, percusso pastore dispersæ oves, sine via errabitis, sine veritate mentiemini, sine vita mortem incurretis, etiam in fuga.

Mons hic Oliveti æquè ædificiis fabricandis aptus est, ac ille Thabor: sed faciendorum tabernaculorum nulla hîc mentio. Præsenserunt nempe timidæ alcyones è ventis, hoc in littore non fore manentem civitatem, nec esse bonum hîc esse. Oportebat quidem, ô viri, non timere eos, qui occidunt corpus; animam autem non possunt occidere. Stetisse satis erat: Dominus enim vobis tacentibus pugnâsset pro vobis. Nec vulnera vobis timenda erant, qui vos in mortem ituros cum JESU optimâ fide spondebatis. Et ut vestrum quispiam vulneri dedisset locum, præsto erat medicus, qui vobis inspectantibus felicissimæ chirurgiæ experimentum dedit in hoste; ut sciretis, quid exspectare possent amici. Ite nunc sanè, ite: & si placet fuga celerior, etiam nudi currite; aut certè si quempiam pia urget curiositas, ut videat finem, sequatur à longè. Veniet tempus, quando tradent vos in conciliis, & ducemini ad Reges & Præsides: quando putantes se obsequium præstare Deo, in Synagogis suis flagellabunt vos, futuros odio omnibus hominibus. Neque enim est discipulus supra magistrum.

Derelinquunt itaque Discipuli JESUM: non tamen JESUS derelinquit Discipulos. Ne sine præceptore sint, suo loco substituit timorem, more suo: nam id nuper etiam in navi fecit. Qui enim tutus est, ut etiam securus sit, timeat: quia tutus, quamdiu timet, etiam securus est.

STA-

STATIO II.

LOCUS TORRENTIS CEDRON.

TOrrens Cedron rivus est ad Orientem Hierosolymæ, inter ipsam urbem & montem Oliveti, qui pluvialibus aquis undique de montibus, nec non ex fontibus & piscinis auctus, dulci quodam strepitu, per mediam vallem Josaphat atque Gehennon, pérque plana deserti, in mare mortuum fluens, tandem absorbetur. In utraque ripa olim multæ arbores & frugiferæ stabant, quarum amœna varietas unà cum vicinis hortis recreabat oculos. Hunc torrentem Rex David totus lacrimis madidus, unà cum amicorum intimis, à facie filij Absolon fugiens, operto capite & nudis pedibus transivit. Hìc lapis hodie visitur, super quem à Judæis trusus JESUS, reliquit vestigia manuum pedúmque, imò & funium, velut arte sigillaria in ceram impressa. Lapis est coloris cinericij, durus sed fragilis, adeóque ferro ineptus. Pons, qui nunc est, tunc non fuit: quisquis tamen tunc pons fuerit (nam quæ de trabe Salomonis antiqui aliqui memorant, non affero) ex illo creditur JESUS deturbatus in torrentem. Vestigia JESUS lapidibus impressit sæpius.

1. In Ægypto lapidi ad fluvium Nilum.

2. In urbe Nazareth in supercilio montis, unde præcipitandus erat.

3. In loco orationis in monte Oliveti.

4. In loco captivitatis seu comprehensionis.

5. In urbe Tyro in saxo, in quo stans urbi comminatus est.

6. In littore maris Galilææ post Resurrectionem.

7. In monte Oliveti, cùm in cælum ascenderet.

8. Romæ in loco, quem appellant: Domine quò vadis: atque alibi sæpius. Priusquam hinc abeamus, cum Matre dolorosa nobis considerandus est JESUS transiens torrentem.

IESVS TORRENTEM TRANSIENS.

AQuis fluvij Jordanis assuetus JESUS, Cedron torrentem non horrebit. Namque de torrente in via bibet, & non advertente sagacissimo dæmone, demersum mundum extrahet. Credet enim ille, JESUM in aquas detrudi nolentem. Docebit insuper socios piscatores hominum, non horrere aquas, unde Baptismi materia petenda erit. Ipso namque sic instituente, non alia ad cælum nisi per aquam via est. Hoc nempe, mi JESU! est contra torrentem niti; quando tibi nolens capi mundus capiendus est, atque ejus peccata velut saxa è fundo tollenda. Hinc profectò mereris digito monstrari, & dicier: hic est, qui tollit peccata mundi ex aquis.

Josephus olim in cisternam demittitur; JESUS in torrentem præcipitatur: ille à fratribus, quos timebat, ut hostes; iste ab hostibus, quos amabat, ut fratres: uterque emptus & venditus non digno pretio. Aqua maris salsa patientiâ saxeâ JESUM sustinuit: dulcis hæc torrentis, quia delicata, mergi patitur JESUM, nec illum sustinet. An quia nec Discipuli eum sustinuerunt? an quia nisi divinus Urinator ad fundum venisset, nos etiamnum in fundo jaceremus demersi? certè ut nos extolleret supra aquas cælestes, repere ipse debuit infra aquas torrentis, ibique venenum paradisiaco serpenti adimere, ne ulteriùs sic noceret.



LIBER II.



LIBER II.

PASSIO DOMINI NOSTRI JESU CHRISTI NOCTURNA INTRA URBEM.

SCelera nostra, ne expugnari possint, mœnibus defendimus; ne velint, intra domos & palatia recipimus; ut delicijs victa & vincta è tam beato carcere exire ne optent quidem: hæc Hierosolymis facta sunt, perinde ac in Sodomis. Utraque vel medicorum judicio incurabilis regio: nam nec hanc ignis, nec illam ferrum curavit. Sic nempe, ut muri, cum vetustate indurantur firmantúrque vitia; ut nisi cum hominibus comburi aut exscindi nequeant. Comitemur JESUM per vicos & plateas, per fora & compita. Atque ut ex ordine progrediamur, in hoc Mariano Itinere, librum hunc distinguam in duas vias. Prima erit ad Palatium Annæ: Secunda ad Palatium Caiphæ.

VIA I.

MATRIS DOLOROSÆ IN PALATIUM ANNÆ.

PAlatium Annæ soceri Caiphæ à primis jam Christianis in Ecclesiam est versum, ita ut ejus forma, ut tempore Christi fuit, haberi non possit. Est intra portam Sterquilinij, per quam jam secunda vice JESUS transit. Ecclesiam hodie habent Armeni, SS. Angelis dicatam. In atrio visuntur domunculæ hodie ab Armenis habitatæ, non leve vestigium pervetusti monasterij. Ut ordine progrediamur in hac via

Mariana, eam distinguam in tres stationes. Prima erit in loco Olivæ: secunda in loco tribunalis: tertia in loco stantis JESU.

STATIO I.

OLIVA.

AD Aquilonem juxta Palatium Annæ oliva est pervetusta, ad quam ligatus JESUS & opprobrijs affectus est; dum Annas Sacerdos in publicum prodiret, & JESUM reum admitteret in conspectum. Oliva hæc cavernosa est, nec admodum alta; crassa tamen, & in tres ferè truncos divisa, hodiedum frugifera. muro hodie cincta est, & magnâ diligentiâ custoditur: atque in ipsa oliva lampas diu noctúque ardens piè à Christianis alitur, in lachrimabilem memoriam contumeliarum. Priusquam hinc abeamus, cum Matre Dolorosa considerandus est

IESVS SPRETVS.

O DEUS! quem homines isti dicunt esse filium hominis? vos, qui visum, auditum, vitam accepistis, quem esse dicitis? sed ut gratitudo, ita & ingratitudo exlex est. Libera cuique nunc maledicendi & facultas & voluntas est. Magna inter hos virtus est, non maledicere. Malè locuti sunt de Deo. Inimicus improperavit Domino, & populus insipiens incitavit nomen ejus. Quid interest, impie Appella, utrùm Deum neges, an infames? obsecro, nolite impiè agere, nolite exaltare cornu, nolite loqui adversùs Deum iniquitatem: nolite extollere in altum cornu vestrum. Vult Deus timeri, ut Dominus; honorari, ut pater; amari, ut Sponsus; coli, ut Deus. Omne peccatum & blasphemia remittetur hominibus, Spiritus autem blasphemiæ non remittetur vobis, neque in hoc sæculo, neque in futuro; & in peccato vestro moriemini, rei judicio, rei concilio, rei gehennæ ignis.

Qui habet aures audiendi, audiat; quàm multò peiora sint hæc dæmonia clamantia & maledicentia,

tis, quàm illæ muta, quæ JESUS non sinebat loqui, quæque saltem in jejunio & oratione ejici poterant. Sed ista silentio vincuntur: quòd si ijs benefeceris, irritantur, & irritata adhuc graviùs ferient, bis mala, quia de bene merito dicunt malè. Si convitium in fratrem homicidium est; quid sentiendum de ijs, qui Patrem contumelijs afficiunt? Itaque cùm hi senes nolint, laudate pueri Dominum, laudate nomen Domini, sitque nomen Domini benedictum in ore infantium & lactentium, & perficiatur laus ejus in ore ipsorum, clamentque: Osanna in excelsis. Vel si fortè, quia nox est, etiam hi taceant, loquantur lapides.

Ecce mi JESU! positus nunc es in signum, cui contradicatur. Gloriantur, qui oderunt te, in medio solemnitatis tuæ, & humiliatus es nimis: quia propter me sustinuisti opprobrium, & operuit confusio faciem tuam. Sustinuisti qui simul contristaretur, & non fuit; & qui consolaretur, & non inventus est. Satis enim tui te laudare se putant, si taceant. Verè humiliatus es usquequaque Domine. Joannes in deserto Christus putatur: Christus in urbe infra Judam habetur. Usquequo improperabit tibi inimicus? Num salvare nos poterit iste? Laudibus nostris non eges: sed vituperio non delectaris. Humilitas tua fuit misericordia, non impotentia. Et hoc imperitè & impiè ignorant Judæi: quibus tamen ignorantibus, omnia quæcunque voluit fecit JESUS. Sed exspecta modicum, mi JESU; eripiet te Pater de contradictionibus populi hujus, & illata tibi opprobria fient nobis Sacramenta.

Injuria virum fortem probat; sed calumnia conturbat etiam sapientem, & perdit robur cordis ipsius: nulla enim est intolerabilior contumelia, quàm quæ pro beneficijs regeritur. Non dolere, stipitis est. Multi plùs timent vituperium, quàm periculum. Honorari in schola humilitatis non pauci cupiunt: ideo plures videmus humiliatos, quàm humiles. Humiliat enim quosdam veritas, quos voluntas extollit. Neque ulla humilitas est, quæ dulcedine gloriæ veræ non tangatur. Nempe virtus non renuntiat honori. Misera fortuna est, quæ inimico caret: quia sine adversario marcescit virtus: & ma-

gnum malum eſt, ferre non poſſe malum. Neque victoria minor eſt, hoſtes tolerare, quàm vincere. Lege, ratione, exemplo, quævis injuria arguitur. O quàm ſæpe reprobant oculi humani hominem, quem approbant divini! Vituperonum vox eſt: Et reus & ſanctus de noſtro naſcitur ore. O Dñe aufer à me opprobrium & contemptum: & noli me confundere. Amputa opprobrium meum, quod ſuſpicatus ſum, & redime me à calumnijs hominum; vel omnium injuriarum remedium concede, oblivionem.

STATIO II.

TRIBVNAL ANNÆ.

ALtare ſummum in templo, quo ſuperiùs dixi, eo loco creditur ſtare, ubi ſtetit ſella ſeu tribunal Annæ Sacerdotis interrogantis JESUM de doctrina & diſcipulis ſuis. Priuſquam hinc abeamus, cum Matre doloroſa conſiderandus nobis eſt

ANNAS.

VAde, mi JESU! oſtende te Sacerdoti, à quo duriora habes & diriora quæ expectes, quàm ab ipſo dæmone: ſiquidem ille, cùm te tentaret, materiam pro panibus obtulit, nec panes eſurienti invidiſſet. Hujus miniſtri bibiturum te de torrente in via, in ipſum detruſerunt torrentem. Ille reverenter te ſupra pinnaculum templi portat; hic ſupra templum Sacerdos ad ſe funibus impudenter te trahi vult. Ille exiguâ reverentiâ contentus, omnia regna mundi oſtendit & promittit; hic nulla demiſſione ſatiandus, vel etiam mitigandus, omnia ſibi deberi credit, arguitque, ſuperbiam ſe habere Luciferianâ majorem. De doctrinæ tuæ veritate tam otioſè quàm inſolenter ſciſcitatur. Præterquã enim, quòd ſciebat, docentes alios mentiri non debere; etiam non ignorabat, te veracem eſſe, viam Dei in veritate docere, non reſpicere perſonam hominum, verba denique vitæ æternæ habere.

Sed hæc natura eſt invidiæ: verè umbra magnatum & felicium, ſecretum vulnus adeóque incurabi-

le

le: si cujus cor velut sentinam repleverit salsedine, facit ut dulcorari post hac beneficijs nequeat. Fabrica invidiæ pro fundamento non habet nisi somnia. Certè Josephi fratres, somnio fratris, velut jacto fundamento, tantam invidiæ molem superstruxerunt.

STATIO III.

LOCUS STANTIS IESU.

QUatuor ab Oliva passibus in latere dextro Ecclesiæ creditur stetisse JESUS, quando alapam à Malcho servo accepit. Quem locum propter atrocitatem injuriæ noluisse creditur S. Helena templo includere. Priusquam hinc abeamus, cum Matre dolorosa nobis consideranda est.

ALAPA.

NUnquam pejùs habitus est JESUS meus & nuspiam, quàm in principum aulis. In aula Annæ percussus: in aula Caiphæ consputus: in aula Pilati flagellatus: in aula Herodis spretus & pro stulto habitus. Hinc credo est, cùm ad has aulas eundum esset, ire ad finem usque vitæ suæ distulerit, & non nisi funibus & catenis violenter tractus iverit Vir, ad quem puerum aulæ Orientis sponte ivere, procubuere. Contrà in domibus Publicanorum Zachæi, Matthæi, & piscatoris Petri, & leprosi Simonis, aliorúmque de plebe, ad mensam adhibitus est, & non raró pro DEO habitus. Quotusquisque aulam non ambit, ut per patronos patronásq; cum Petro obtineat ingressum? Quotusquisque non bene ustulatus, & amarè flens exit? Nonnemo quoties inter homines (ne dum aulicos) fuit, semper minor homo rediijt. Sed quod aulam Annæ præ omnibus nobilitavit, servi factum fuit audax, immane, ingens, horrendum, sine exemplo, sine imitatore. Conatur nempe servilis adulatio veritati os occludere, & impacto colapho, fortiter monet, probátque, quantum sibi coram scelesto principe liceat. Nempe inurbanus in aula est, quisquis assentator non est; ubi nomine blasphemiæ punitur veritas.

Si nomen mediastini quæris, & quis ille sit alter Herostratus, qui ex facinore famam quærat: Malchus is est vir, durus & pessimus & malitiosus, ipsissimus ille, qui paulò antè auriculam Christo debuit. Hæc merces operæ est. Hanc rependit aula gratitudinem. Audax manus, si tamen Malchi fuit, & non redivivi Caini, nec minùs felix: nam omnis alapa, præter hanc, reperit judicem. Contrà minimè felix Petri ictus; qui cùm manum truncare vellet nefarij, impegit in auriculam. Vix Jeroboam contra Prophetam manum extendit; & manum, quam extendit, reperit aridam, exsuccam, exsanguem. Oza vix Arcam tetigit, nec impiè nec indecenter; & morte plectitur repentinâ. Regis Oziæ manus tetigit, quod non debebat, thuribulum; & leprâ in pœnam percutitur. Ecquis ergò extendat manum suam in Christum Domini, & innocens erit? An ô Malche! quòd formam servi Jesus meus accepit, servum putas tibi similem, & alapa dignum? erras. Non ideo minùs nobilis est, quia homo novus est. Fabri filius est, & mundi fabrica, opus ipsius, Magistrum probat. Tunc tui Dominus eris, ô Malche serve nequam, cùm Dei servus esse incipies, cui servire regnare est.

Sed ô anima mea! cur JESUS faciem suam non avertit ab increpantibus & conspuentibus? Credo, ut hac demissione sua, quærentibus signa Judæis, & nullo contentis, signum de cælo Divinitatis suæ supremum daret: quod si Deus nunquam dedisset, homo imitari non posset. Paulus certè, & virgas, & lapides, & naufragia passus, colaphum tamen silentio non præterijt.

Quis magni faciat censuram hominum, quorum judicio nec ipse quidem rectè locutus est DEUS? fecit JESUS, ut docuit: ita enim respondit, ut videretur præbuisse maxillam etiam alteram, & percussorem invitâsse, ut bis esse vellet scelestus.

Ecce Angelum Sathanæ, qui Christum colaphizat. Scelesta manus & securi digna, quia scandalosa. Aridam optâssem! audax lanista hero suo probat fidem! & quid improbus mediastinus etiam in Deum possit, tota manu demonstrat. Debebatur hic ictus Adamo; sed fallens manus peccavit in Christo. Hæc portenta patrat adulatio,

um-

umbra magnatum, laqueus dulcis, Echo Regum, quæ fictis plausibus respondet. Ferit ut bos, clausis oculis: læsæ Maiestatis crimen cùm sit; in locum tamen pœnæ accipit præmium. Omnis denique Laudator est Adulator. Plaga cum contemptu & joco inflicta, quantumvis magnam patientiam sauciat, etiam divinam. JESUS pedibus trusus, ligatus, dejectus in torrentem, à turbis tantùm non contusus, Deum se probavit. Hæc alapa hominem demonstravit. Nempe nec debuit tacere nec potuit. Defensionem nobis necessariam omisisse, nostrum damnum fuisset. Respice, ô anima mea: in faciem Christi tui: & tu, Domine, responde, ut justificeris in sermonibus tuis, & vincas, cùm judicaris.

VIA II.
MATRIS DOLOROSÆ.
IN PALATIUM CAIPHÆ.

IN hoc Palatio Christus tanta passus est, ut teste S. Hieronymo absconsa voluerit esse usque ad diem judicij; ne nobis nimis difficilia creditu scriberentur. Magna concilij Aula in Ecclesiam mutata est: in hac liberè ab omnibus percussus & consputus est: quanquam primum mortis inferendæ consilium habitum creditur extra urbem in monticulo, qui est in media via Bethlehem versùs, & vocatur mons mali consilij. Palatium Caiphæ distat à Palatio Annæ trecentos triginta gressus. Templum S. Helena struxit in honorem S. Petri, quod posteri S. Salvatoris nuncupârunt; in quo nostris temporibus Armeni Christiani sua sacra habuere. Est hodie extra urbem. Extra Palatium lapis monstratur in angulo quodã, quo in loco B. V. stetisse perhibetur, flente & exeunte Petro; qui præ fletu B. Virgini de filio inquirenti non potuit respondere. Quo in loco credunt Orientales B. Virginem permansisse, usque dum JESUS manè duceretur ad Pilatum. Ut ex ordine progrediamur in hac Via Mariana, eam distinguam in sex stationes.

Prima

Prima erit in Porta.
2. In aula Concilij.
3. In Atrio.
4. Ad Columnam.
5. In Carcere.
6. In antro Petri.

STATIO I.

PORTA.

AD hanc ſtetit ancilla oſtiaria, quæ rogante Joanne intromiſit Petrum. Priuſquam hinc abeamus, cum Matre doloroſa duo nobis conſideranda ſunt.

1. Ancilla.
2. Petrus aulam ingrediens.

I. ANCILLA.

ROmam univerſo cum orbe domaturus Princeps Apoſtolorum, fortitudinis ſuæ experimentum faciet in mediaſtina, & duello confliget mirando: jámque in arena eſt. Hæc gladium portat in ore, ille ſuum mittere juſſus eſt à JESU in vaginam. Nulla fæmina tam pauper eſt, ut ei verba deſint. Citiùs & latiùs ſpargitur, quod fæminæ dictum eſt in aurem, quàm quod per præconem proclamatum eſt in foro. Quævis mulier Evam in ſe circumferens, videtur eſſe diabolicæ fraudis vaſculum. Pudet ſcelus ſui ipſius, niſi originem trahat à fæmina. Hæc nobilium ſcelerum proſapia eſt. Fæmina fuit, quæ Adamum Paradiſo exegit, Joſephum abjecit in carcerem, Samſonem ad molam, Davidem ad fugam, Salomonem ad inſaniam, Joannem ad ſpiculatoris machæram egit. Hortum ubi fæmina ingreditur, non quærit, an DEI an Regis palatio vicina ſit: primum utrobique hominem ſuum facit. Quid facturam in domo putes, ubi eam clavium poteſtas facit oſtiariam? Dominam credas, non ancillam; ita imperioſa eſt: namque ſi neſcis, in palatio Caiphæ Judæi ancilla eſt Domina: in palatio Pilati gentilis Domina eſt ancilla. Vel Eva rediviva eſt hæc ancilla; vel talis eſt, cui Eva invidere poſſit. Loqui cum hâc Petrus diu non poteſt, quin neget, quod Deus affirmat; affirmet, quod Deus negat;

gat; faciat quod prohibet. Prô quam rari sunt, qui loquentes cum mulieribus Christum non negant! Tremit jam Petrus frigétque, & meritò: nam Siren adest, vel Medea, cantare & incantare docta. Cave Petre, & scito, prævium timorem esse periculi Asylum.

II. PETRUS AULAM INGRESSUS.

VIsurus finem Petrus aulam ingreditur. Quid piscatori cum aula? qui in domibus Regum sunt, mollibus vestiuntur. Opprimitur simplicitas justi in aula, vel omnino perit. Exeat aulâ, qui vult pius esse. Simon, Simon! ecce sathanas expetivit te, ut cribraret, sicut triticum. Periculum hoc vel prudenter aggredere, vel devita. Plus tibi periculi timeo ab aula, quàm ab horto; à femina una inermi, quàm à viris armatis multis. Non vides? Ad ignem accede, inde lumen accipies, ex quo te ipsum cognoscas.

STATIO II.

AULA CONCILII.

EX hac, ut dixi, Christiani fecere Ecclesiam. Habet unum tantùm altare: nec enim magna est. Super altari pars est lapidis illius, qui ab Angelo fuit revolutus ab ostio sepulchri. Priusquam hinc abeamus, cùm Matre dolorosa nobis consideranda sunt duo. 1. Caiphas. 2. Concilium.

I. CAIPHAS.

NOn potest latere in potestate malitia, quam ipsa arrogantia celari non patitur. Vos (inquit Caiphas tanto talíque consessui) nescitis quidquam. Quid ais Caipha? Sacerdos licèt sis, adeóque Rege major; unus tamen tu unicúsque omnia solus non vides. Contra omnes sapere, desipere est. An tecum fortè morietur sapientia, quæ non in lingua sed in corde est? Doctum te crederem, si nosses

Deum; si timeres, etiam sapientem, quem decet, non uno gradu, sed una via ire. O sola fortes garrulitate senes! Meliùs sibi Caiphas caveret, si prædecessoris sui insidens pelli loqueretur è tribunali, & sententiam diceret. Fare igitur, impie, quid est, quod ignorent universi, túque solus scias? Melius est, inquis, ut unus moriatur pro populo, & non universa gens pereat. Optima propositio. Mortui namque nec mordent nec latrant: ipsa crimina morte conteguntur. Quin quod præferri debeat utilitas publica privatæ, nemo est qui nesciat. Optima, inquam, propositio. Nam nec à Christo nec à veritate dissentit Caiphas, nisi intentione. Expedit, inquit iste, ut moriatur: expedit, inquit ille, ut ego vadam. Uterque expedire dicit, uterque propheta est, uterque Sacerdos. Quid ni igitur solus inter omnes sapiat Caiphas, qui adeò bellè ipsam veritatem, dum oppugnat, defendit?

II. CONCILIVM.

GEns absque consilio & sine prudentia. Quare facitis res hujusmodi, quas ego audio res pessimas? Verba sunt inter vos plurima, multámque in disputando habentia vanitatem. Patres vestri in deserto ante solis ortum collegerunt dulce manna; vos in atrio post solis occasum colligitis amarum fel: utrique in arena. Vos tamen in hoc imperiti, quòd consilium quæratis: solis namque gladiatoribus in arena consilium capere concessum est; cæteris repentina nocent. Et quæ clàm geruntur, si nescis, præsumuntur fraudulenta. Non nego, feliciùs ut plurimùm cedunt audacia, quàm moderata consilia. Non sic impij, non sic, nolite judicare secundum faciem, sed verum judicium judicate. Nolite prudentes esse apud vosmetipsos, peccatis veteribus jungentes nova.

STATIO III.

ATRIVM.

EST etiamnum videre spatium terræ extra templum S. Salvatoris, quo tunc atrium Palatij fuit, eóque in loco juxta portam templi sta-

ſtat arbor pomorum aureorum etiamnum ferax; ubi Petrus ad ignem Chriſtum ter negavit. Priusquam hinc abeamus, conſideranda nobis ſunt duo. 1. Petrus negans. 2. Chriſtus reſpiciens.

I. PETRUS NEGANS.

O Mi JESU! quàm facile inhærent vel optimis aulæ mores! vix ingreſſus in illam ſimplex piſcator eſt, cùm illic & ſimulare didicit, & mentiri. Nam & ibi negavit, eóque in loco, ubi neſciebatur, quid eſſet veritas: & ille negavit, qui te noſſe non potuit, cùm videret ſputis conſpurcatam. Culpâ tamen non caret: nam & aulam intravit, in quam JESUS vix funibus trahi potuit, & JESUM à longè ſecutus eſt. Quid igitur mirum, mi JESU! quando omnes, qui elongant ſe à te, peribunt, etiam Petrum periiſſe? ignem amoris, quem Petrus erga Chriſtum inter undas conceperat, extinxit ad prunas. Quem adoravit in aqua, negavit in terra, aliquid habens tunc de Caino, quando ille fratrem, hic magiſtrum neſciebat: quem tamen, licèt non ita pridem, ſciebat eſſe Deum, & Dei vivi Filium; nunc hominem neſciebat & filium hominis. Etiam jurat, etiam pejerat. Paulò antè vult pro JESU in carcerem ire, vult animam ponere, vult mori. Trinam jactantiam trina negatione cumulat, correcturus utramque trina poſt Reſurrectionem amoris profeſſione. Fuit nempe Petrus initio plus quàm vir; in fine minus quàm femina.

Præceptum habebat olim Adam non comedendi; Petrus nunc non negandi. Ille à conjuge, hic ab ancilla ſeducitur. Separavit Adamum Domina à Paradiſo, Petrum ancilla à Chriſto. Utraque Janitrix peccati, & oſtiaria. Illa Adamum, hæc Petrum induxit; vnde non niſi amarè flens exiret. Tam Petrum quàm Orientis Reges cæleſte lumen deſeruit, ingreſſos Jeroſolymæ palatia. Hæc aularum eſt infelicitas. Et quia Petrus JESUM hominem noſſe nunc non vult ad ignem; veniet tempus, quo ipſum noſſe non poterit etiam in aqua, niſi eum ducem habeat tunc, quem nunc habuit, Joannem.

Negligentia naſcitur ex re bene geſta. Hinc Petrus memor victoriæ hortenſis, ignarus ſui ingreditur

Deum; si timeres, etiam sapientem, quem decet, non uno gradu, sed una via ire. O sola fortes garrulitate senes! Meliùs sibi Caiphas caveret, si prædecessoris sui insidens pelli loqueretur è tribunali, & sententiam diceret. Fare igitur, impie, quid est, quod ignorent universi, túque solus scias? Melius est, inquis, ut unus moriatur pro populo, & non universa gens pereat. Optima propositio. Mortui namque nec mordent nec latrant: ipsa crimina morte conteguntur. Quin quod præferri debeat utilitas publica privatæ, nemo est qui nesciat. Optima, inquam, propositio. Nam nec à Christo nec à veritate dissentit Caiphas, nisi intentione. Expedit, inquit iste, ut moriatur: expedit, inquit ille, ut ego vadam. Uterque expedire dicit, uterque propheta est, uterque Sacerdos. Quid ni igitur solus inter omnes sapiat Caiphas, qui adeò bellè ipsam veritatem, dum oppugnat, defendit?

II. CONCILIUM.

Gens absque consilio & sine prudentia. Quare facitis res hujusmodi, quas ego audio res pessimas? Verba sunt inter vos plurima, multámque in disputando habentia vanitatem. Patres vestri in deserto ante solis ortum collegerunt dulce manna; vos in atrio post solis occasum colligitis amarum fel: utrique in arena. Vos tamen in hoc imperiti, quòd consilium quæratis: solis namque gladiatoribus in arena consilium capere concessum est; cæteris repentina nocent. Et quæ clàm geruntur, si nescis, præsumuntur fraudulenta. Non nego, feliciùs ut plurimùm cedunt audacia, quàm moderata consilia. Non sic impij, non sic, nolite judicare secundum faciem, sed verum judicium judicate. Nolite prudentes esse apud vosmetipsos, peccatis veteribus jungentes nova.

STATIO III.

ATRIUM.

Est etiamnum videre spatium terræ extra templum S. Salvatoris, quo tunc atrium Palatij fuit; eóque in loco juxta portam templi

sta-

ſtat arbor pomorum aureorum etiamnum ferax; ubi Petrus ad ignem Chriſtum ter negavit. Priuſquam hinc abeamus, conſideranda nobis ſunt duo. 1. Petrus negans. 2. Chriſtus reſpiciens.

I. PETRVS NEGANS.

O Mi JESU! quàm facile inhærent vel optimis aulæ mores! vix ingreſſus in illam ſimplex piſcator eſt, cùm illic & ſimulare didicit, & mentiri. Nam & ibi negavit, eóque in loco, ubi neſciebatur, quid eſſet veritas: & ille negavit, qui te noſſe non potuit, cùm videret ſputis conſpurcatam. Culpâ tamen non caret: nam & aulam intravit, in quam JESUS vix funibus trahi potuit, & JESUM à longè ſecutus eſt. Quid igitur mirum, mi JESU! quando omnes, qui elongant ſe à te, peribunt, etiam Petrum perijſſe? ignem amoris, quem Petrus erga Chriſtum inter undas conceperat, extinxit ad prunas. Quem adoravit in aqua, negavit in terra, aliquid habens tunc de Caino, quando ille fratrem, hic magiſtrum neſciebat: quem tamen, licèt non ita pridem, ſciebat eſſe Deum, & Dei vivi Filium; nunc hominem neſciebat & filium hominis. Etiam jurat, etiam pejerat. Paulò antè vult pro JESU in carcerem ire, vult animam ponere, vult mori. Trinam jactantiam trina negatione cumulat, correcturus utramque trina poſt Reſurrectionem amoris profeſſione. Fuit nempe Petrus initio plus quàm vir; in fine minus quàm femina.

Præceptum habebat olim Adam non comedendi; Petrus nunc non negandi. Ille à conjuge, hic ab ancilla ſeducitur. Separavit Adamum Domina à Paradiſo, Petrum ancilla à Chriſto. Utraque Janitrix peccati, & oſtiaria. Illa Adamum, hæc Petrum induxit; vnde non niſi amarè flens exiret. Tam Petrum quàm Orientis Reges cæleſte lumen deſeruit, ingreſſos Jeroſolymæ palatia. Hæc aularum eſt infelicitas. Et quia Petrus JESUM hominem noſſe nunc non vult ad ignem; veniet tempus, quo ipſum noſſe non poterit etiam in aqua, niſi eum ducem habeat tunc, quem nunc habuit, Joannem.

Negligentia naſcitur ex re bene geſta. Hinc Petrus memor victoriæ hortenſis, ignarus ſui ingreditur

atrium fortis, unde captivus exeat. Febribus ad instar socrûs suæ laborat magnis. Quærit ab igne remedium, sed frustra. Nam nec tantum inde luminis accepit, ut videret finem. Destruit enim, non acuit hic ignis visum: si ferreus est, obediet ancillæ: si palea est, abibit in fumum: si salamandra est, refrigescet in eo Charitas, fiétque ad hunc ignem ex Petro latro; sicut in cruce fiet ex latrone Petrus.

Quantumvis peritus tractare retia, hamum tamen imperitus piscator non fugit, è piscatore factus ipse piscis, utinam mutus! timidus certè: nam qui non timuit cohortem, fugatur à femina, & dementatur vir sapientissimus. Ita etiamnum dæmon per Evam primos hominum decipit, per serpentem feminas, per feminam viros.

Arteriæ, voluntatis, duo pulsus sunt, volo & nolo, systole & diastole. Utraque ordine suo movetur & perturbatur à metu. Imbecillæ mentis est, formidare inexpectata; & si metum consulas, semper malus interpres est. Etiam primus metus omne consiliū aufert, omnem amorem exarmat, omnem verecundiam minuit. Petrus, qui stetit in undis intrepidus, cadit ad ignem, quia timet. Sed quid faciant agni, si trepidant arietes, vel etiam pastores? Poterat sanè Petrus sine suo damno, sine honoris jactura fateri se discipulumChristi esse: quia confessio extrajudicialis non infamat. O Petre! qui voluerit animam suam sic salvam facere, perdet eam. Vera amicitia non spe sed fide constat. Si aliud sapis, non sapis ea, quæ Dei sunt, sed quæ hominum. Aliqua ad virtutem obstinatione opus est. Anima mollis vitij characterem facilè recipit, & amicus mensæ in die necessitatis non permanebit.

Videtur ex Petro discipulo Christi, factus frater, sed Cain. Ubi est Abel frater tuus, ô Petre! nescio, inquis, tanto cum majore mendacio; quò magis eum præ cæteris noveras esse filium DEI vivi; & hoc non ex carnis & sanguinis, sed ex Patris æterni revelatione. Nescio, inquis. Nempe ut relinqueres omnia, etiam JESUM reliquisti; ut nihil haberes. Hæc, scilicet, vera paupertas est. Credo tamen nescire te, & nosse hominem hunc. Nam si & Judæi cognovissent, nunquam Dominum gloriæ crucifixissent; nec tu eum negâsses. Verè qui se

existi-

existimat stare, videat ne cadat. Non est peccatum, quod fecit homo, quod non possit facere alter homo.

Petrus toties lapsus, quoties admonitus, quamdiu non timet, nec mergitur nec peccat. Ita principis timor nunquam sine culpa est. Casus principis Apostolorum, nobis instruendis, permissus à Deo est. Videmus nullos faciliùs efferri, quàm quos inopinati honoris culmen extollit. Ipsa virtutis sublimitas virtuti ipsi periculosa est. Et ut cadas, resurge cum Petro non semel modò, sed septies, imò septuagies septies. Corripere JESUS Regni sui janitorem per ostiariam voluit; ut solertiùs acceptis clavibus custodiret fores cæli, quàm ancilla palatij. Eam ob causam hæc correptio facta est in palatio summi Sacerdotis.

II. CHRISTVS RESPICIENS.

O Domine! Petrus nuper à te aquis servatus, nunc perit ad ignem; nisi venias & subvenias. Veniam, inquis, & curabo eum. Ergóne super hanc inconstantem Petram ædificabis Ecclesiam tuam? sic est. Nam quem tu eligis, dignus est. O quàm facile est in oculis Dei, subitò honestare pauperem! loquetur JESUS ad Petram, & illa dabit aquas.

Nihil tam utile in humanis rebus est, ut in transitu prosit. JESUS, qui Deus est, cùm omnia alia agere videtur, etiam in transitu peccatori prodest, atque in salutem est. Sine JESU subsistantia justorum nulla est. hâc subsistat necesse est, qui stare vult. Absens licèt sit JESUS (nam transeuntis vox audiri non poterat) præsens tamen est, & de corde ad cor loquitur, de facie ad faciem. Respexit enim JESUS Petrum, & intuitus eum dixit ei: (cordis lingua) tu es Simon Bariona: ecce rogavi pro te, ut non deficiat fides tua. Itaque & tu nunc conversus, confirma fratres tuos.

Transijt JESUS, sed verba ejus, in transitu licèt dicta, non prætereunt Petrum. Atque utinam nec te ô anima mea! Petrus, cujus pauló minùs habitâsset in inferno anima, oculorum Christi violento sed suavi ictus fulmine exijt foras, & ruptis lachrimarum cataractis maria flevit

flevit, quia amarè. Respice in me, Magister bone, & miserere mei, & me videndo corrige. Si respicis, lapsi stabunt, fletúque culpa mea omnis solvetur.

STATIO IV.

COLUMNA GALLI.

IUxta arborem prædictam in atrio videtur basis, super quam stetit columna porphyretica, in qua Gallus stans cantavit, quem cantum JESUS Petro prædixit, & Petrus audiens ad se reversus & conversus est. Columna nunc Romæ est in templo S. Joannis in Laterano. ejus loco alia in memoriam rei Jerosolymis reposita etiamnum stat. Priusquam hinc abeamus, cum Matre dolorosa duo nobis consideranda sunt. 1. Gallus cantans. 2. Petrus pœnitens.

I. GALLUS CANTANS.

IN cæteris, auditus præparatio est ad visum, in Petro contrà usuvenit. Quantumvis enim Petrus JESUM videret, & hic illum respiceret; nondum tamen Petro subijt præteritorum memoria. Ita nec videre nec videri, ad conversionem sufficit; quia fides ex auditu est, si Paulo & experto & docenti credimus. Sed & si audias, nihil egisti, nisi JESUS respiciat. O quàm parùm in peccatorum auribus proficiunt clamantes Ecclesiastæ cen cantantes Galli, ubi JESUS fulmine oculorum suorum mollito corde auditorem non præparavit.

Cecinit sanè Gallus hic canticum novum, quod nemo præter Petrum intellexit: ubi longa suspiria, breves pausæ, mensura fine modo, auditor Deus. Respice, ô peccator, cum Petro volatilia cæli, & disce, quam docent, pœnitentiam.

II. PERTUS POENITENS.

INæstimabile bonum est, suum esse. Quamdiu Petrus in Palatio est, suus non est, sed alterius. Exi itaque, ô Petre! de terra, de terra hac

hac & de cognatione non tua: custodi temetipsum, & animam tuam salva. Noli respicere post tergum, & in monte hoc salvum te fac. Solitudine vitia si non vincuntur, certè vitantur. Vulneribus didicit miles habere metum. Nempe, quæ nocent, docent: qui pavet, cavet: & improbè Neptunum accusat, qui iterum naufragus est. Fuge, fuge: nunquam enim aliter nisi fugiendo femina vincitur.

Petre ubi es? Ne confundaris confiteri peccatum tuum. Benignitas DEI, si permittis, te ad pœnitentiam adduxit. Et quantumvis consilium DEI immobile maneat; novit tamen DEUS mutare sententiam, si tu noveris mutare delictum. Ijs DEUS parcit, qui sibi non parcunt. Est jam aliqua pietatis pars, velle fieri pium. Vix deliquisse creditur, qui sine intervallo emendationem conjungit errori. Peccator humilis melior est justo superbo. Qui se accusat, excusat: qui se condemnat, absolvit: qui peccatum agnoscit & corrigi vult, jam veniæ prognosticum habet. Ipse JESUS, si permittimus, vulnera nostra sic curat, ut cicatricem non relinquat.

Peccavi (ait Petrus) super numerum arenæ maris, peccavi, & verè deliqui. & ut eram dignus, non recepi. Non intres in judicium cum servo tuo Domine, quia non justificabitur in conspectu tuo omnis vivens. Anima mea liquefacta est, ut dilectus meus locutus est. In uno oculorum tuorum, O JESU! vulnerasti cor meum: hinc istæ lachrimæ. Postquam convertisti me, egi pœnitentiam. In te Do-Domine speravi, non confundar in æternum. Exitus aquarum deduxerunt oculi mei, & simul ac locutus est JESUS ad Petram, dedit aquas.

Petræ itaque scissæ sunt, & dirupit Dominus etiam hanc Petram, & fluxerunt aquæ, & torrentes inundaverunt. Ipse nimirum est, qui convertit Petram in stagna aquarum, & rupem in fontes aquarum. Quod defendi non potest, ablui potest. Omnes aquæ non extinguerent unam scintillam inferni; una lachrima extinguit totum, si tempori fundatur. Erit, cùm liber scriptus proferetur, in quo totum continetur, unde mundus judicetur. Prô! quam multa videbimus in illo libro deleta, corde vel-

ut

ut spongiâ lacrimis madefactâ! Dele, dele, Domine, etiam iniquitatem meam.

His aquis reaccensus est (ut ille olim) ignis cælestis, quem ignis aulæ sopiverat. Delicatæ sunt lacrimæ & subtiles, nec fluere possunt, si vel cor lapidescat, vel vena viva exsiccetur, vel capita fontium ab inimico Holoferne obturentur. Profundi cordis cùm sit homo, bibere ex hoc puteo creator non potest; quamdiu situlis oculorum aquam attrahere non potest. Imbrem ex oculis ne spera, quamdiu sol justitiæ è cordis palude vapores non attrahit.

Sunt lacrimæ aqua vitæ & liquor paradisi, si per alembicum oculorum è corde accenso charitatis igne distillentur: sunt lacrimæ sudor animæ & balneum: sunt vinum de meliore nota, quod Angeli in phialis aureis Deo propinant. Qui infirmus est, crisin capiat ex sudore lacrimarum, in quo reperiet medicinam universalem. Nam si anima in deliquium cadat & delinquat, lacrimas ei sparge in faciem, & redibit ad se. Quin & mortuum suscitabunt ad vitam: quod JESU lacrimæ fecerunt Lazaro; quod tibi tuæ facient, si velis. Cæterùm ut thymiama non nisi Deo accendendum erat; ita lacrimæ non nisi Deo fundendæ sunt. Hoc incenso, his aquis solus ille honorandus, tantóque creatura nulla dignanda honore est.

STATIO V.

CARCER CHRISTI.

Carcer hic in Palatio Caiphæ tam angustus est, ut vix duobus ibi locus sit sedentibus: nam stare erectus nemo potest. Ingressus strictus, ut manibus pedibúsque ingredi volenti rependum sit. Stat ibi in altaris formam lapis, super quo ardet lampas. Hoc in antro JESU meo quies capienda erat inter probra. De hoc carcere ipse JESUS creditur locutus in Psalmo 87. traditus sum, & non egrediebar. Priusquam hinc abeamus, cum Matre dolorosa nobis considerandæ sunt duo. 1. Sputa. 2. Velamen.

I. SPU-

I. SPVTA.

SIve Josephum sive Danielem crediderint esse JESUM, posuerunt eum in lacu inferiore, ubi pro leonibus fuere homines de tribu Juda. Hæc hora vestra est & potestas tenebrarum. Sed quid video? sputis suis oculos Christi obtenebrant, qui sputo suo oculos cæcorum illuminavit: tentant, subsannant subsannatione, frendunt super eum dentibus suis: opprobrium est hominum & abjectio plebis. His ritibus, mi JESU! cantantur Laudes tuæ, ante Matutinum in domo Sacerdotis.

Sputum homini Creator dedit salubre contra serpentes. Sed malitiosè eo abutens, sibi in venenum vertit peccator. Ita nunquam non sibi contradicunt Creator & peccator. Verè lapis est JESUS, quem reprobaverunt ædificantes, feceruntque in caput anguli, in quem angulum velut locum vilissimum spuerent. Nec ille faciem suam avertit ab increpantibus & conspuentibus in se. Inspuerunt in eum, & in os ejus sacrum, unde tam sibi salutaria audierunt! & fortasse (quod olim uni fecerunt) inspuendo in os occidissent, nisi parâssent peiora. Ecce, ô inquinati tortores, non quod intrat in os, coinquinat hominem; sed quod procedit ex ore, hoc coinquinat hominem. Hæc enim sputa JESU meo, qui vas est ad honorem, ad gloriam erunt; vobis, qui vasa estis ad contumeliam, erunt in damnationem.

II. VELAMEN.

TEnebræ factæ sunt super universam terram, quia factæ sunt tenebræ super faciem Abyssi. Ecce venit JESUS in nubibus cum Majestate magna; ita ut non possint intendere in faciem ejus filij Belial, propter gloriam vultûs ejus. Nubes enim latibulum ejus licèt sint, & velum faciei ejus sit oppansum; vestra tamen, ô impij, considerat, & illum præ alijs, qui eum percussit.

Videre vultum boni viri, dulce est: & præ omnibus, O JESU! lumen oculorum tuorum lætificat animam meam. Itaque non averte,

ſed oſtende faciem tuam, & ſalvi erimus. Reſpice in me, & miſerere mei: & ſalvum fac filium ancillæ tuæ. Revela oculos meos, ut videam mirabilia tua: & faciem tuam illumina ſuper ſervum tuum: & omne, quod bonum videtur in oculis tuis, fac: tantùm à peccatis meis averte faciem tuam, & ab occultis meis munda me.

Cæca nequitia pati oculatum Deum non poteſt: à pupillâ tuâ metuebant faſcinum. Certè Petro, reſpici, corripi, & converti idem fuit. Eam ipſam viſionem, quæ beatis præmium eſt, pœnam putant. Quæ Moyſi negata fuit facies, hæc Judæis præbetur videnda. Reſpice, ô Hebræe, in faciem Chriſti tui. Sed ne videant, velant.

Sine cauſa neuter mundi oculus eclipſatur. Sed nec tui oculi, mi JESU! velantur ſine cauſa. Patri enim, tibi, Judæiſque cauſarum ſatis fuit, velandi oculos tuos. Quanquam miror, utroque luminari ſic obſcurato, mundi machinam non diſſolvi. Crediderim odioſam fuiſſe Judæis faciem tuam; ne vel ob terrorem, quem in templo ſub flagellis acceptum adhuc retinebant, vel ob amœniſſimos oculorum radios ceſſare à contumelia cogerentur. Fortaſſis te velata facie ſecum loqui juſſere hi mediaſtini, ut novus legislator, velut alter Moyſes (quo te majorem feceras) ſpecimen dares prophetiæ. Sed in actione tam ſeria nec in ipſorum quidem luſorum ore riſum deprehendo. Qui nempe non poterant in faciem Moyſis aſpicere niſi velatam; mirum non eſt, quod nec in Chriſti faciem inſpicere potuerint niſi velatam, qui Moyſi dedit de facie ſua (ad quam loquebatur) lumen. Non aliter, qui lunam fixo obtutu aſpicere non poteſt, de intuendo ſole deſperat. Gravis eſt, inquiunt, nobis ad videndum; quoniam diſſimilis eſt alijs vita illius: ideo non mundum nitidúmque in honorem, ſed ſordidiſſimum velamen in contumeliam inverecundè oppandunt, Genimina viperarum! Suſannæ faciem detegitis, & faciem JESU velatis; ut illius amore, hujus odio imbuamini, ſemen Chanaan & non Juda. Sed, ô ſtulti & tardi corde ad credendum! videt vos JESUS etiam velata facie, qui etiã clauſis ſomno oculis vidit modicæ fidei diſcipulos in navi. Modicæ planè fidei homines, qui Deum non

plures

plures habere duobus oculis credunt; quibus sopitis agere ultrà excubias mundo non possit. Si nescitis, ô improbi! Deus totus oculus est: miseri! sedentibus in tenebris & umbra mortis sol non luxit vobis; quia ipsimet velâstis faciem ejus: sed vobis potiùs, quàm illi velamen hoc obduxistis; quod non auferetur à vobis, nisi in fine mundi.

Sed longè alia tibi mens est, mi JESU! scio, non invitus velaris: scio, omnia nuda & aperta sunt oculis tuis: & licèt tu verè sis Deus absconditus; scio tamen, quia omnia potes, & nulla te latet cogitatio. Tacens & quasi non videns videris, & vides tamen. Et ah! nimis imperfectum meum viderunt oculi tui. Velari tamen cupis, & vis videri non vidisse, quis te percusserit; ne cum peccatis nostris nos peccatores videns, odisse cogaris. Certè si bene sentio, ambo oculi tui non velarentur; nisi post sceleratum pomi aspectum in paradiso aperti essent oculi amborum.

Quantumvis velatus, non absconderis. Stantem te post parietem hunc, & per cancellos hujus velaminis prospicientem deprehenderet sponsa, apis argumentosa. Involutum his pannis agnoscerent & adorarent pastores, credeféntque, te ad infantiam & præsepe redijsse. Campestres convivæ raperent te, & facerent Regem: quia velatus cùm sis, & quidem sponte, dissimulare te, atque adeò scire regnare, credent. Videt, scio, Pater tuus in abscondito; sed & tu lumen de lumine, Deus verus de Deo vero, vides, quantumvis inter nubes absconditus, & nostra consideras.

Nunc verò etiam, ut audias, postulo: petitionem unam parvulam deprecor à te, ne confundas faciem meam. Averte oculos tuos à peccatis meis, & revela meos, ut considerem mirabilia de lege tua. Claude tuos, ne videant iniquitatem meam; aperi meos, ut videant bonitatem tuam. Præceptum namq; tuum lucidum est, & illuminans oculos. Inveniam quæso gratiam ante oculos tuos, & da mihi mille argenteos, qui sint mihi in velamen oculorum ad omnes, qui mecum sunt: ut quocunque perveniam, meminerim me à te deprehensum, pangámque cum oculis meis fœdus; eósque avertam, ne videant vanitatem, sed solam faciem tuam requirant.

 Opti-

Optime JESU! qui faciem tuam à percutientibus & conspuentibus in te non avertisti; cur faciem tuam à me abscondis? an arbitraris me inimicum tibi? vivit Dominus, ante cujus faciem sto, faciem tuam quæram semper, & præoccupabo in confessione; quòd tibi Domine justitia, nobis verò confusio faciei debeatur. Itaq; protector noster aspice Deus, & non avertas faciem Christi tui, in quam desiderant Angeli prospicere. Sed omnes iniquitates meas scriptas à sathana celte in silice, his sputis, his pannis, quibus nunc involveris, dele.

STATIO VI.

ANTRVM PETRI.

Distat duodecim circiter passibus à loco, in quo Judæi manus amiserunt ad sandapilam, in qua B. V. portabatur ad sepulchrum. Fuit hîc olim sacellum, sed nunc funditus destructum est. Priusquam hinc abeamus, cum Matre dolorosa considerandus nobis est

PETRVS FLENS.

Ut Pœnitentia vix falsa esse potest, cui junguntur lachrimæ; ita veram esse vix putat Augustinus, quæ his caret. Petrus, qui timendi modũ non habuit ad ignem, dolendi modum vix reperit in lachrimarum aquis. In antrum fugit, ut solus & sine teste adeóque verè doleret. Hunc fontem lachrimarum, velut secundi Baptismi fontem, à JESU datum sibi gratulatur. Oculorum voce confitetur, quem ore negavit. Lachrimarum imbre amoris carbo inardescit. Ita beatiores nonnunquam lachrima facit, quàm innocentia. Aliud etiam est, quod in Petri lacrimis miror. Fluvij ritu, non torrentis currunt: quia perennes sunt: lapsum veterem novis quotidie lachrimis deplorat: quia solatium dolentis est, doluisse: convertit namque Deus eorum planctum in gaudium, quod auferri non potest.

Cor lapideum in calcem combustum contritúmque lachrimis accen-

accenditur, & fit cæmentum Hierosolymæ cælestis. Per aquam sol sine damno videtur, per lachrimas Deus. Hæ guttæ vera sunt uranoscopia: nempe lucerna corporis tui est oculus tuus. Etiam lac præ lachrimis vilescit: nam hæ & suaviùs nutriunt, & fortiùs; quæ de cælo veniunt fulmina, extinguunt. His aquis balsami hortus in corde conclusus rigatur, non alijs. Plura dicam, potum sibi quisque è lachrimis conficere potest, si bene fundat, caveátque ne citò arescant; quibus inebriari charissimi quique licitè & sine peccato queant. quin & escam; sunt namque qui seminant in lachrimis; ut in exultatione metant. Ita Davidi lachrimæ fuerunt panes die ac nocte. Et si misceantur sanguini JESU, etiam medicinam facient. Cæterùm ut in aquis plurimum refert, per quas mineras currant; ita in lachrimis quoque plurimum refert, an de cælo depluant, an verò scaturiginem suam ducant è terrâ: Eæ namque, quas fumus honoris perditi, vel non adepti, aut amissæ deliciæ, velut cepæ, extorquent, adulterinæ sunt, & Deo odibiles. Mare denique sunt lachrimæ, in quo JESUS per piscatores vult piscari, & capere Imperatores.



PARS II.

PASSIO DOMINI NOSTRI JESU CHRISTI DIURNA.

SCeleribus hominum nocturnis debebatur Passio Christi nocturna: eorum licet sit testis in cælo fidelis luna, ad hoc credo officium præesse nocti jussa. Non minùs tamen atrocia sunt, quæ in facie solis hujus (qui diei præest) comittuntur scelera, quia plus audaciæ habent. His expiandis Passio Christi diurna destinata fuit, non parùm illustrior nocturna. Itaque secunda hac Parte complectemur ea, quæ à crepusculo matutino usque ad mortem JESU contigerunt. Ut autem ex ordine progrediamur, partem hanc in duos libros distinguam. Prior erit de ijs, quæ contigerunt intra urbem: posterior de ijs, quæ contigerunt extra urbem.

LIBER I.

PASSIO DOMINI NOSTRI JESU CHRISTI NOCTURNA INTRA URBEM.

NOn omnia urbana sunt, quæ intra urbes aguntur; nec omnes mores boni, qui muris bonis includuntur. Fructuum seges messisque in agris est & hortis, scelerum in urbibus; ubi non semper ad legum, sed quandoque ad scelerum normam vivitur. Ut ex ordine progrediamur in hoc Mariano Itinere, librum hunc distin-

stinguam in sex vias. Prima erit ad Palatium Caiphæ. Secunda ad templum. Tertia ad Palatium Pilati. Quarta ad Palatium Herodis. Quinta ad Palatium Pilati. Sexta via Crucis.

VIA I.

MATRIS DOLOROSÆ AD PALATIUM CAIPHÆ.

IAm superiùs descripsi. Duo hîc moneo. 1. Quod à Palatio Annæ distet gressus octogintos viginti quinque. 2. Quòd, cùm Ecclesia sit eo loco, uti creditur, ubi fuit aula judicij, necesse est, illam aulam fuisse in terra, & in eam patuisse ingressum ex atrio. Hinc ubi Evangelistæ dicunt, cógregatos fuisse Seniores, & convenisse in atrio Principis Sacerdotum, non tam strictè intelligendum est, eos sub dio convenisse summo manè, & consultâsse stantes eo loco, ubi pridie sedebant ad ignem mediastini; sed commodè sine tortura verborum posse intelligi eundem ipsum locum Judicij, in quo pridie consederant. Ut ex ordine progrediamur in hac Via Mariana, Aulam Judicij, quæ unica hîc statio est, examinemus.

STATIO I.

AVLA IVDICII.

HIc sentina nequitiæ est, & Lerna malorum, verè mali consilij domus. Priusquam tamen hinc abeamus, cum Matre dolorosa tria consideranda sunt. 1. Caiphas. 2. Concilium. 3. Testes.

I. CAIPHAS.

SAgax nequitia religionem mentiens, quærit, cur JESUS animam eorum tollat; tum etiam adjurat, ut dicat, num ipse sit Christus. Malè disputat, qui litigiosè interrogat. Et poterat tacere JESUS;

SUS; quia certus disputat, non debet ampliùs certificari. Loquitur tamen JESUS, & affirmat, atque incipiens à Nubibus & Majestate, jam jam dicturus erat; ponam arcum meum (Crucem meam) in Nubibus, & erit signum, in quo signo vincam inimicos meos, & sedes judicij inter me & terram: cúmque obduxero nubibus cælum, apparebit hic arcus meus in nubibus, & recordabor vestri. Hæc, inquam, aliáque de judicio locuturum interpellat Caiphas exclamatione blasphemiæ, & cum tumultu in loco judicij silentium imponit veritati. (Verè mali non cogitant judicium) ut sciremus, in aulis tam gentilium quàm fidelium veritatem non audiri; hoc solo discrimine, quòd in illis negligatur, in his etiam quandoque exsibiletur. Scindit Caiphas vestimenta, cùm conscientiam deberet: nempe iratus est. Iracundia apud alios iracundia est; in principe superbia, in omnibus præcipitium insaniæ. Nec interest, quàm ex honesta causa insanias. Reliqua vitia plebeia sunt; ira speciem nobilitatis habet. Oñes namque læsi dolent, omnes irati efferantur, plúsque cum vindicta reddunt, quàm cum injuria acceperunt, plerumque contumeliosè liberales.

Compatior tibi, ô mitissime JESU! omnia tibi adversantur: ubi enim tu tum sit asylum, offenso judice? à quo tibi jus proponitur & vis infertur. Adversarius tuus Caiphas non deberet præesse negotio, quod ad se spectat. Experiris nunc, quid sit incidere in manus hominum, apud quos non jus sed vis sententiam dicit. Audisse se blasphemiam, ait Caiphas. Sed errat auris, ubi errat affectus. Confessus JESUS hoc in jure pro judicato habetur, quia non est mentitus. Grande scelus, colorare virtutis penicillo vitia, Deicidium justitiâ. Prô quantum distant judicia hominum à Judicijs Dei!

II. CONCILIVM.

Nolite judicare, & non judicabimini: nolite condemnare, & non condemnabimini. In quo enim judicio judicaveritis, judicabimini. judicia vestra perversa sunt, quia judices iniqui. Date viros

ros ſapientes & gnaros, quorum converſatio ſit probata. Væ, Væ, qui ſapientes eſtis in oculis veſtris, & coram vobiſmetipſis prudentes! non eſt ætate veſtra dignum, fingere. Nunquid lex veſtra judicat hominem, niſi priùs audierit ab ipſo, & cognoverit, quid faciat? ſed percuſſiſtis fœdus cum morte, & cum inferno feciſtis pactum. Progenies viperarum! quis miretur, non poſſe vos bona loqui, cùm ſitis mali, callidi tacendo, fallaces mentiendo, verboſi machinatores? Cæterorum, qui aſtuti ſunt, aut finis aut medium malum eſt, vobis utrumque. Si Princeps veſter Principe digna cogitaret, in cordibus etiam mala cogitantium dolus non eſſet. Fuit cùm etiam olim Sacerdotes, Seniores, & Scribæ, ut nunc, convenirent in atrium, populo ſtante in platea. Non tamen adversùs Dominum indixerat conſilium illud Esdras, & adversûs Chriſtum ejus; neque ut templum deſtrueretur, ſed ut ædificaretur. Conſultatum tunc eſt, quomodo viveretur ſecundùm legem, non quomodo contra legem occideretur ipſe legislator. Peccatum veſtrum eſt ſupra modum peccans peccatum: & quia cum conſilio factum eſt, veniam non meretur.

III. TESTES.

TEſtibus coram Pilato agendum eſt. Ideo quia veros non habetis, quæritis ſolicitè falſos & multos. Sed audite jus Regni & Leges teſtium. Quantumvis cæcus in omnibus teſtis eſſe jure poſſit, quia teſtimonium de auditu valet; non pauci tamen ſunt, quos ab hoc munere jura excludunt. Nam præterquam quòd ad diſputationes forenſes Philoſophi inepti habeantur; multi tamen etiam alij vel indigni vel inhabiles ſunt. Certè omnes in conjuratione & conſpiratione inventi, in nulla accuſatione ſunt recipiendi. Ita infamis quoque nec accuſare, nec teſtari poteſt.

Adhæc teſtis vacillans punitur, cujuscunque ſit fori. Quòd ſi apertè ſibi contradicat, omnino non valet. Cæterùm uti teſtes ſingulares non probant: (quia unius teſtimonio nunquam credendum) ita ſi duo ſint, adhibenda ijs fides eſt: quia duo plures eſſe dicuntur. Quin creditur etiam in judicio magis

duobus affirmantibus, quàm decem negantibus: si tamen causam testimonij sui, ut debet, dicat testis. Nam dicenti, probandi incumbit onus; & admittat oportet contra se, quod pro se admisit. Quòd si testis mendax sit, ab hoste non differt. Vitium facti erit in anima ejus, sermonis in lingua. Verba ejus animi sensa prodent, ut ructus stomachi cibos. Eam ob causam abominatio est domino labia mendacia, & testis mendax peribit. Jam qui vobis testes quærendi sint, scitis.

VIA II.

MATRIS DOLOROSÆ.

AD TEMPLUM.

VIa JESU à Caipha ad Pilatum juxta templum erit. hâc eundum est. Hoc templum Salomonis olim septem annorum spatio constructum, sæpius destructum, tempore Christi stetit cum suis atriis, ut dixi: in quorum vnum Judas desperabundus ingressus, triginta argenteos projecit, recusantibus, qui domi manserant, sacerdotibus tam iniquum pretium recipere. Ut ex ordine progrediamur, in hac Via Mariana, eam unicam, quæ occurrit, stationem consideremus, nempe templum seu templi atrium.

STATIO I.

ATRIVM TEMPLI.

CRediderim, fuisse atrium Gentium, in quod Judas projecit argenteos; tum quia dæmon ad suspendium eum solicitans, non concedebat moram; tum ne fortè reverentiâ loci sanctioris meliores assumeret cogitationes. Priusquam hinc abeamus, cum Matre dolorosa tria nobis consideranda sunt. 1. Judas venditor. 2. Argentei. 3. Judas pœnitens.

I. IVDAS VENDITOR.

ECce agnus venditus est eo loco, unde paulò antè ejectum est venale pecus: vendicúsque est is ipse, qui potestate non jam tribunitia sed divina has nundinas Ecclesiasticas proscripserat. Miserrime hominum! non est bonum hoc, quod fecisti. Venundatus es ipse, ut faceres malum in conspectu Domini. Et nescis, quia tu es miser & miserabilis, & pauper, & cæcus, & nudus. Sic stultus es, ut cum Spiritu cœperis, nunc carne consummes. Ut buccellam panis à Magistro tibi datam restituas, clavos nundinaris, quibus ei manũ utramque impleas. Hæc tua est gratitudo; ideo à cœna abijsti. Sed melius tibi erat, confidere in Deo, & manere in loco tuo, quem reliquisti.

Sed hæc auri argentíque natura est, ut qui emit, non lætetur, & qui vendit, lugeat. Occasiones quærit, qui vult recedere ab amico; has pecunia porrigit. Sapientiam Dei invenisses, si eam quæsivisses quasi pecuniam. Non sine causa jussit te Magister cavere ab omni avaritia, & jussit thesaurizare thesaurum in cælo: quia radix omnium malorum est cupiditas. Judas avarus est, quia plus pro Christo non petit; Sacerdotes avari, quia plus non dant. Sicut populus, sic & Sacerdos. Verè à minore usque ad majorem omnes avaritiæ student. Et miraris, non mansisse lapidem super lapidem eo in emporio, ubi nundinatores mercaturam fecerunt? nempe non vult Deus eodem in loco vendi, & adorari.

Multis fortuna nimis dat, satis nemini. Hinc auri pallor: multos enim insidiatores cùm habeat, carceres formidat. Porcus pro sale animam habet, avari pro anima argentum. Quid mirum, si Judas projectis argenteis, ceu emisso sanguine, in quo anima est, animam diu retinere non potuit? sua volebat latere vitia, ideo divitias quæsivit, quibus servire deberet, imperare non posset. Ita avarus, antequam lucretur, se perdit. Lucrari cum aliena jactura nemo debet; & impium est, de alterius damno lucrum exspectare. Sed quid non mortalia pectora cogit auri sacra fames? non est tutum, oblata temerè accipere. Secundis non esse con-

tentum, temeritas est: quæ si insuper etiam felix sit, modo caret, & cum sapientiâ ipsâ non cognoscetur. Accipere si non esset, malus nemo esset. Ipse qui beneficium invenit, compedes invenit; Judas etiam laqueum. Sic est, qui nescit, quantum quærit; nescit, quid inveniat: & totum perdit, qui totum vult. Quandoque ne beneficium quidem invenies, nisi libertatem vendas.

Jam experitur Judas veritatem verborum Christi. Nemo potest duobus dominis servire. Ecce enim cùm mammonā diligit, Christum odio habet. Quid prodest tibi, ô perdite! si universum mundum lucreris, animæ verò tuæ detrimentum patiaris? aut quam dabis comutationem pro anima tua? an non tibi aures tinniunt, cùm verba Christi identidem audis: noli possidere aurum neque argentum in zona tua; noli tibi thesaurizare thesauros super terram: noli esse solicitus, quid manduces, aut quid bibas, aut quo induaris? O quàm difficile est, confidentes in pecunijs in Regnum Dei introire! facilius enim est, camelum per foramen acûs transire, quàm divitem intrare in Regnum Dei. Sed quem paupertas ingratum fecit; cui pecunia præ fama est, lucrum præ conscientia; cui denique moderator cupiditatis non adest pudori, ille libenter peccat; etiamsi sentiat se peccare: quin etiam contemnit, quando in profundum venit. Cum beneficio namque etiam beneficij oblivionem ebibit in cœna ingratus Judas. Væ, Væ homini huic, per quem scandalum hoc venit! melius ei fuisset, si non fuisset natus homo iste, vel si ligato ad collum molari lapide in profundum fuisset demersus, ne veniret in profundum inferni.

II. ARGENTEI.

CHristianis Deus Trinus est, Judæis Quadrinus, (obolus Italicus) quia mores eorum admiratione pecuniarum corrumpuntur. Nisi lucrum esset, nemo esset improbus. Inopiæ pauca desunt, avaritiæ plurima. Contemnere aliquis omnia potest, habere non potest. Avarus non substantiam possidet, sed ab ipsa possidetur: ideo nunquam

quam bonus, nunquam liber, nunquam Rex, nunquam non pauper eſt; quia timet ſemper, & pavet excors: ubi enim theſaurus ejus eſt, ibi eſt & cor ejus.

Quorundam corda in vino natant, aliorum inter libidines voluntantur: mammonæ alchimia facit, ut avari cor in auro vel ſit, vel eſſe velit, Caini heres, quia omnes fugit. Si enim potentiorem videt, timet furem. Ita timendum ſemper eſt, habere volenti: interea cantabit vacuus coram latrone viator.

Sed felix divitijs nunc Judas eſt: ſed & videbis hodie felicitatem hanc nauticam pendere è funibus. Sed præter pecunias etiam alia exſpectat Judas: ſed quæcunq; exſpectet, malè exſpectat, qui pendet. Sed floret hodie Judas & viret: nempe ut fœnum agri, quod hodie eſt, & cras in clibanum mittitur inferni. Nemo facilè fuit in divitijs ſine vitijs. Magnæ opes magnæ jacturæ locum faciunt. Fortuna non niſi ſua petit; quod non dedit, non rapit. Non proderunt divitiæ in die ultionis: non proderunt theſauri impietatis: argentum & aurum eorum non valebit liberare eos in die furoris domini. Rape, congere, poſſide; & quæ natura fecit communia, tua facito omnia. Relinquenda ſunt omnia. Fortunæ ſuæ malus faber eſt, quisquis eam Judæ exemplo ædificat in arena, licèt argentea.

Egens eſt tam is, qui non habet ſatis, quàm is, cui ſatis nihil eſſe poteſt. Nunquam parum eſt, quod ſatis eſt; & nunquam ſatis eſt, quod multum eſt. Inopia validum telum eſt, fateor: atque ideo non eſt morbus, cupere; ſed cupidum eſſe. Nec paupertas virtus reputatur, ſed paupertatis amor. Omnia relinquere poſſumus, & omnia retinere, nihil habentes & omnia poſſidentes. Quidquid habeas, quámque multum; non aliud poſſidebis, quàm quo uteris. Si amicum quæris; pauperum amicitia ſecurior eſt, quàm divitum: ſi ſecuritatem; ſcito me nunquam vidiſſe ullum torqueri à judice propter paupertatem. Utrique tamen unicum præſidium ſunt manus, quibus hic accipiat, ille det. Pauperum manus theſauri tui & horrea ſunt. Via Dei pauper eſt: incipe erogare, ſi non vis errare.

III. IUDAS POENITENS.

MOriturus Judas, cacodæmonis mancipium, ne sine specie virtutis obiret intestatus, testamentum condidit. Itaque inter angustias angustæ mortis constitutus, velut inter sacrum & saxum, animæ suæ consulturus restitutionem facit ablatorum, & quidem integram. Sed nescit, quàm malè malè parta dilabantur. Certè plus templo, imò toti populo prosunt duo minuta viduæ, quàm triginta argentei Judæ. Quantumvis liberâ manu projecti in templo, tamen nec templo nec populo profuerunt, pretium facti peregrinorum sepulturæ. Trahit namque ipsa pecunia nescio quid malitiæ à Domino. Faciliùs venditur DEUS, quàm redimitur. Jam Judas nec JESUM nec argenteos habet. Peregrinis emit tumulum, sibi laqueum.

Sic est profectò, navem ex alienis tabulis qui facit, sibi non facit. Tibi non prodest, quod tuum non est: per manus eant necesse est injusta lucra: anguillæ sunt, quæ è manibus elabuntur; si capiantur in hoc mundi Oceano, in quo nemo diu supernatare potest, nisi manus eleemosynam moveat. Hæc divitum anchora est, hanc si negligant, periere. Scivit æger avaritiâ Judas, sanguine nimio cùm abundaret, habere se opus phlebotomia, quæ sola esset medicina avaritiæ, qua ægri sanarentur & salvarentur. Minuendi sanguinis locum ut ritè peragere, elegit templum: hîc etiamsi abjiceret sanguinem cum argenteis injustum, non tamen successit sanguis justus, quem tradiderat. Sanguinem divitiarum suarum argentisuga vomit, & quæ avaritiæ pœna est, relinquit inimicis. Ita infantes fulgorem nitedulæ sequuntur. Semper ego credidi, aurum esse carbonem inferni semiaccensum: & miratus sum, aurum ab aura dici, à quâ nihil præter sonum habet, qua aures judicum obtundantur.

Peccavi! salva res est, Juda. Initium salutis, agnitio erroris. Vox hæc, sive Regum sive Publicanorum sit, semper bona est, si bene pronuntietur. Venia veniæ omnibus patet: & vel sola confessio quandoque erroris, medicina fuit: nec sera pœnitentia est, quæ vera est; quan-

quanquam rarò vera, quæ sera. Pungitur bene, qui compungitur. JESUS, qui mitis est & humilis corde, venientem ad se non eijciet foras. Pœnitentia enim vera si sit, memoriam peccatoris reducit Deo, cujus oblivionem induxit culpa, manúmque ligat fulminantis. Cùm itaque affers, ô Juda! nunc munus tuum ad altare, & recordatus ibi fueris, quòd frater imò Magister tuus habet aliquid adversùm te, relinque ibi munus tuum ante altare, & vade priùs reconciliari fratri tuo & Magistro. Sed frustra hæc omnia occinuntur Judæ: nam tanto licèt tempore Judas cum Christo fuerit; pœnitentiam tamen, quam Joannes prædicavit, & Christ' exercuit, Judas ignoravit. Adest itaque fur, furúmque maximus ad templi fores: fatetur, magis sibi dolere damnum, quàm sapiat lucrum: sicut, non dimitti peccatum, nisi restituatur ablatum. Agnovit, se teneri reficere, quod suâ operâ deterius factum est: ideóque sua sacerdotibus restituit, sua repetit. Læsus supra dimidium, evertit contractum: & quia pactum turpe non obligat, Magistri sanguinem justum repetit pro pecunia, quam injustè accepit. Turpis fuit causa dantis, turpis & recipientis. Reddite Magistrum Sacerdotes.

Prô quantùm distant judicia Dei à judicijs hominum! Apud Deum confitenti nunquam non parcitur; apud hos pœnitudo post factum locum non habet. Tu videris. Pecunia tua tecum sit in perditionem: ut accessorium sequatur principale. Nemo argenteos recipit; ne quis JESUM pro argenteis reddere cogatur. Religiosi templarij nummularios oderunt, ex quo JESUS eo loci nummulariorum mensas evertit.

VIA III.

MATRIS DOLOROSÆ.

IN PALATIUM PILATI.

IN umbilico ferè urbis ad sinistram templi prope turrim Antoniam palatium est, in quo olim Præsides Romani habitârunt. Di-

stat

ſtat à Palatio Caiphæ mille quingentis greſſibus: erátque olim altiſſima totius urbis fabrica. Aſcendebatur viginti octo gradibus marmoreis, qui nunc Romæ ſunt, per quos JESUS ter aſcendit, ter deſcendit. Chriſtiani Palatium verterunt in Eccleſiam. Prætorium longum triginta paſſus, quindecim latum ſerviebat proChoro, cubicula lateralia proCappellis. Hodie omnia iterum mutata, ut vix veſtigium templi appareat. Prætorium hodie eſt, ut olim fuit, ad eoſdem uſus: habitatur enim palatium à Sangiaco Judice Turcarum. Ut ex ordine progrediamur in hac Via Mariana, eam diſtinguam in tres ſtationes. Prima erit in Lithoſtroto. Secunda in cubiculo privato. Tertia in Lithoſtroto.

STATIO I.

LITHOSTROTOS.

TRibunal Pilati locus ante Palatium editus & judicio accommodatus, ubi Romani præſides ſententiam ferre ſolebant, Lithoſtrotos Græcè, quia lapidibus ſtratus Hebraicè Gabatha dictus, quòd eminens eſſet & excelſus. Priuſquam hinc abeamus, cum Matre doloroſa nobis tria conſideranda ſunt. 1. Pilatus. 2. Judæi. 3. Seniores.

I. PILATUS.

FEcit Deus hominem rectum, & ipſe ſe infinitis miſcuit quæſtionibus. Pilati natura ad malum faciendum & injuſtitiam non ita vergebat, ut ad polum magnes, ut ferrum ad magnetem. Abſque judicis officio fuiſſet, minùs malus fuiſſet. Domus juriſconſulti totius civitatis oraculum cùm ſit, Judex ipſe è dijs medioxumis unus ſit oportet; cui auctoritatem faciant leges, legibus ſeveritas, ſeu quod idem eſt, læva veritas. Lynceus ſi ſit Judex, malus eſt, quem tota antiquitas etiam cæcum voluit. Et ut ut ſit, Athenienſes in Areopago in tenebris

nebris causas tractavere. Si tactu araneæ polleat, utilis reipublicæ erit: nam in quam partem vergat statera, ad momentum usque deprehendet. De auribus cùm sit quæstio, quales in judice requirantur, ne abludam à communi tam sapientum quàm antiquitatis decreto, apertas esse volo, sic ut una tantùm detur actori, altera tegatur pileolo, & servetur reo. Cæterùm candidæ sint an rubicundæ, longæ an breves, crassæ an subtiles, planæ vel gibbosæ, non refert, modò in omnibus sint ad amussim æquales: nec enim qualitas sed æqualitas in auribus judicis requiritur. Pretium quodcunque sit, si Æthiopum ritu auribus appendatur, ipsi justitiæ nocivum erit.

Vincula, quibus nocentes ligabit, ex ferro sint, non alio metallo; ne inaurari possint. Vincula namque inaurata ut fortia sint, reos tamen non tenent, sed judices. Justitia mater est; Judex pater non rei, sed juris. Eam ob causam neminem illi permitto, ut occidat, quem lex non occidit; uti nec parcere cuiquam, ne contemptor legis audiat ipse, qui defensor esse deberet. Denique judicis pusillanimitas est innocentis calamitas. Injusto judice nullus nisi propriæ conscientiæ timor est: siquidem vani timoris in judice nulla æstimatio est. Ad extremum existimo judici sedendum esse, ne suspicio subrepat aut negligentiæ, quæ in judice valde damnatur; aut ignorantiæ, quæ in potentibus deterrima est. Cæterùm sella sit ex corio, & quidem quod nullo ferè pretio haberi potest, prædecessoris cujuspiam; ut sedens in pelle aliena, timeat suæ.

Prô quales Christi tempore judices mundus habuit! Roma Augustum tulit, sub quo oppressus capitali censu Orbis ingemuit: Hierosolyma Pilatum habuit, qui Judæam diripuit: Galilæa Herodem patris impij filium non meliorem, sub quo nec fratris proprij uxor vivere bene, sed nec Joannes, inter natos mulierum optimus, vivere omnino poterat. Ecclesia Annam & Caipham habuit, qui venale tenebant sacerdotium. Quodnam his sub judicibus sit virtuti præsidium?

Stetit itaque JESUS ante præsidem Pilatum, sedentem in tribunali; qui olim statutus est ante JESUM sedentem in iride. Interrogabit ergo tunc JESUS præsidem,

quo jure ipse scripserit, & milites imposuerint super caput ipsius causam ipsius scriptam; cùm tamen nullam in eo causam se mortis invenisse, ter professus sit publicè. Et non respondebit ei Pilatus ad ullum verbum: & mirabitur præses hic vehementer, quomodo erraverit à via veritatis, cujus illi tam parvâ cura erat, ut nec ejus definitionem audire sustineret.

II. IVDÆI.

MUltorum capitum hydra populus est, nunquam unus atque unitus, nisi cùm cienda seditio est, aut cogendus in tumultum; cujus finis nunquam alius est, quàm exitium. Quid mirer malos Judæos, quando omnis natio mala malos producit homines, & Judæi jam à Moysis temporibus incircūcisis cordibus & duræ cervicis fuere? Condescendit furiosis Præses, & rationes furentibus opponit; sed nec sui potens, nec rationis capax, quin & expers litterarum plebs etiam videns, non videt. Etiam rogat judex, à quibus ipse rogari deberet, sed frustra: nam qui malevolo sunt animo, deteriores fiunt rogati. Et quia verecundiam omnem abjecere, adeò impudenter peccant, acsi piè delinquerent, putantes obsequium se præstare Deo. Ità frequentia delicti demum efficit, ut justè peccent: nam & legem citant, secundùm quam auctor vitæ debeat mori. Non sic impij, non sic. Vos quidem legem habetis; sed nemo ex vobis facit legem. Duo sunt mandata, ex quibus omnis lex pendet & prophetæ: utrumque conculcatis, Deum occidendo & hominem.

III. SENIORES.

FAcit JESUS, quod lege præceptum est, & oblaturus munus præceptum, seipsum ostendit Sacerdotibus, ceu leprosum, qualem fore, vates prædixit. O impij! stat medius vestrûm, quem vos nescitis, quia Deus vester est; cujus non estis digni solvere corrigiam calceamenti. Columba in medio accipitrum, agnus in medio luporum.

Peius

Peius hoc seniorum concilium est contra Christum, quàm sapientum Ægyptiorum contra Moysen, Principum Chaldæorum contra Danielem, Achitophelis contra Davidem, Fratrum contra Josephum. Cùm itaque venisset JESUS heri in domum Principis Sacerdotum, invenit turbam tumultuantem. Fecisse dicebatur duodecim Apostolos, contra duodecim Patriarchas; septuaginta duos discipulos, contra septuaginta duos Seniores; adeóque contemptui habuisse Concilium Sanhedrim: nec hos tantùm, sed & Abrahamum, quem ajebat gavisum esse, quòd vidisset diem suum. Moysen arguebatur sprevisse, quòd identidem novus legislator ingeminaret illud: Ego autem dico vobis: velut potestatem habens. Atque hæ seniorum erant de Christo querelæ. Nec verum testimonium nec falsos testes quærunt, quia & his abundant, & illud reperiri non posse sciunt. Falsa itaque testimonia quærunt, quæ vel umbrâ veritatis colorari possint. Sed nec ista, anxiè licèt quæsita, sunt reperta convenientia; quantumvis illi inter sese convenissent. Stat sententia, morti tradere dominum vitæ & mortis. Nullus inter eos est Nathanaël verus Israëlita, in quo dolus non sit. Omnes famam curant, conscientiam nemo. Vana loquuntur unusquisque ad proximum suum. Vos vos estis, qui justificatis vos coram hominibus; Deus autem novit corda vestra. Genimina viperarum, cur non fugitis à ventura ira, & fructus facitis dignos pœnitentiæ? Frustra hæc omnia: nam verè quantumvis senes & seniores populi sitis, vos nescitis quidquam. Veruntamen hoc scitote: Non est sapientia, non est consilium adversùs Dominum & adversùs Christum ejus. Quia enim consilium DEI sprevistis in vosmetipsos, ideo reliquit vos Deus in manu consilij vestri. Dominus JESUS uti dissipat consilium gentium, uti reprobat cogitationes populorũ, uti reprobat consilia principum; ita & vestrum quoque dissipabit, reprobabitque quantumvis tacens: non enim ideo tacet, quòd non habeat, quid respondeat; sed tacet & tristis tacet; ut olim sui habeant, quod loquantur; quando daturus est eis os & sapientiam, cui non poterunt resistere omnes adversarij eorum; eántque gaudentes à conspectu hujus concilij.

STATIO II.

CUBICULUM SECRETUM.

Sunt juxta Prætorium cubicula quædam; quæ olim, ut dixi, pro sacellis serviebant; nunc pristino usui restituta. In horum unum creditur Pilatus introduxisse sæpius JESUM, & illum interrogâsse. Bonfinius de perenni cultu Terræ S. ait, se in cellula quâdam vidisse adhuc picturam Pilati cum JESU loquentis. Priusquam hinc abeamus, cum Matre dolorosa considerandus nobis est.

IESUS TACENS.

Qui surdos fecit audire & mutos loqui, qui castella montes campósque & cum plateis urbes verbo prædicationis suæ implevit, cujus sonus exibit in orbem terrarum; nunc veluti olinguis factus, sic tacet, ut miretur ipse Præses vehementer; silere namque rei coram judice nunquam solent. Præsidi non loqueris, mi JESU? consentit, qui non dissentit; qui dissimulat, qui non contradicit, pro consentiente habetur. Negligere tibi rem tuam ut liceat, responsio tamen etiam sine interrogatione valebit; quantumvis fides in judicio minor habeatur pauperi & misero, quàm diviti & felici. Volenti non fieri injuriam, asseverabunt: & volens libénsque mori non ab amicis modò sed & inimicis crederis. Vide quid agas, mi JESU! Non tua tantùm, sed & nostra causa agitur.

Quando in judicio tam certa quædam sunt, ut probari; tam absurda quædam, ut refutari non debeant, vir prudens tacebit; etiamsi præsentia ejus & silentium pro consensu habeatur: miseris enim exigua fides. Aspicio JESUM tacentem, & video, quòd charitas patiens sit, (JESUS enim DEUS cùm sit, charitas est) quòd benigna sit sanando Malchum, liberando Barabbam, salvando latronem; quòd non quærat, quæ sua sunt, nec malum cogitet. nam cùm pateretur, non comminabatur; denique quòd operiat

riat multitudinem peccatorũ meorum. Hæc omnia video, cùm JESUM tacentem aspicio.

STATIO III.

LITHOSTROTOS.

IDem locus, de quo antè dixi, in quem exiens Pilatus suasit populo, ut JESUM ducerent ad Herodem. Priusquam hinc abeamus, cum Matre dolorosa considerandus est nobis Pilatus.

PILATUS.

JESUM de plebe unum credere non potuit Pilatus, subesse illustrioris sanguinis non parùm suspicatus, in homine tantæ venustatis, tantæ prudentiæ, cui nescio quæ Majestas populos illico sine vi sine viribus conciliaret. Putavit hæc initio Pilatus, postea etiam credidit, quando JESUS Regem se esse liberrima confessione affirmavit. Verebatur Pilatus hunc Regem, metuebat Imperatorem Augustum, causam non inveniebat, populum non libenter offendebat. His omnibus sine ullius damno, suo cum lucro medetur cor duplex, mentiri doctum. Ad Herodem mittit Galilæum, eique reum cum causa consignat. Hæc munera sunt aulicorum. Hos bolos, quos mors sequatur, offerunt; & ij, quibus offeruntur amari se credunt, & gratias habent. Metue Danaos & dona ferentes, caveásque aulas, in quibus Deus quandoque pro pila est. Hoc Regium, hoc Romanum est.

VIA IV.

MATRIS DOLOROSÆ AD PALATIUM HERODIS.

PAlatium hoc ab Herode Ascalonita, qui Innocentes occidit, ex vario & polito marmore ad mœnia urbis regio sumptu ædificatum est,

est, auro & argento magnificum, portâ ferreâ, & tribus excelsis turribus insigne. Hippicus octoginta quinque, Mariamne quinquaginta quinque, Phaselus nonaginta cubitos in altitudine habet. Credebantur hæ turres tunc munitissimæ & fortissimæ totius orbis. Habet in medio atrium amplissimum, ad latus aulam inenarrabilis magnificentiæ. Nunc palatium est schola puerorum infidelium. In hoc palatio Christus Herodi Antipæ, filio Ascalonitæ, & interfectori S. Joannis præsentatus est. Distat à Palatio Pilati trecentos quinquaginta gressus. Ut ex ordine progrediamur in hac Via Mariana, eam distinguam in duas stationes. Prima erit in aula audientiæ. Secunda in Atrio.

STATIO I.

AULA.

IN hoc, ut dixi, palatio aula erat regia, quæ inæstimabili magnificentia eminens, ornatissimis turribus, cœnaculis, cubiculis, porticibus, deambulationibus columnisque undique cingebatur. In hac Herodes Christum vidit. Priusquam hinc abeamus, cum Matre dolorosa duo nobis consideranda sunt. 1. Herodes. 2. JESUS.

I. HERODES.

NON miror, JESUM non nisi funibus tractũ in aulam astuti, quia vulpis, & potentioris intrare noluisse; quando ipse ipsa sapientia jam olim jussit advocatum à potentiore discedere, neque credere verbis illius. Ita est, & ad doctrinam nostram perite dictum: ex multa enim loquela tentabit te, & subridens interrogabit te de absconditis tuis: immitis animus illius conservabit verba tua, & non parcet de malitia & de vinculis, quisquis de Herodis moribus prosapiam trahit. Hîc si uspiam, solvitur omnis quæstio, per silentium: nihil enim dices, quod hic derisor non spernat. Quid enim vulpes hæc præter se non spernit? fac, quod & quantum potes; vix fecisti, quod debe-

debebas, ferve inutilis. Dona: diceris dedisse tributi dimidium. Servi: dabitur pro mercede flagellum. Quisquis legistarum fuit, qui primus scripsit, omnem hominem nasci liberum, debuisset excipere aulicos. Libertatem jam vendidit, qui aulam ingressus est. Quòd si felix tibi videris in ipsa servitute, potens gratiâ principis; scito hanc vitream esse: nam quando, quod fers, cessabit esse admirabile, in aula ampliùs non erit delectabile. Nova feras & venusta oportet, veráne sint an falsa, non refert: placebunt, quamdiu talia sunt. Si sapientia (quam derisor iste quærit) lacero ingrediatur sub palliolo, spernetur. Hoc Herodianum est.

II. IESVS TACENS.

Nunquam sic locutus est homo, ut iste homo: nunquam sic homo tacuit, ut iste homo. Habes, quod mireris vehementer, ô Rex: ut enim militare sit, agere fortia & pati; sic tamen loqui, sic silere, nec militare nec humanum est, sed divinum. Silentio loquitur JESUS, displicere sibi locum, in quo nunquam sibi obviare possunt justitia & veritas: quia in aulis quandoque de veritate ne quidem loqui licet; cùm nemo sit, qui audire velit. Corriguntur in aulis vitia, non nego; sed majore nonnunquā piaculo, quàm patrata sint: tanta in foro veritatis & justitiæ inest dolis audacia!

Qui tam liberaliter in adulteræ, paralytici, Magdalenæ patrocinium, aperuit os suum, in propria & capitis causa silet. Non sustinet, vel cum damno suo suscipere advocati munus, sine munere; ne coram tali judice causâ cadat. Si loqui, ô mi JESU! non dignaris coram indigno! fac quod fecisti pro adultera, & scribe digito causam tuam in terra; priusquam scribatur causa mortis tuæ in titulo. Quòd si inclinare te non dignaris coram superbo, digito inscribe parieti ferale illud, Mane, Thecel, Phares: unde sententiam suam legat Judex, priusquam pronuntiet tuam. Olim hæc Regi picta, etiam huic apta erunt, quem illi similem fecerunt mores. Quodsi nec hoc placet, adhuc tamen desperata causa tua non est: nam quo digito olim inter fulmina scri-

scripsisti legem in lapide gravem, quam nunc in legem gratiæ mutâsti; scribe hanc eodem digito in lapideis judicum & accusatorum cordibus: primus experieris tuæ legis fructum, & dimitteris.

Noli timere coram Rege loqui, & ne taceas. Narra, siquid habes, ut justificeris. Permittitur tibi loqui. Manu silentium indicens aperi os tuum. Gentem non subvertisti, sed erexisti: Cæsari non negâsti, sed imperâsti dari, quod suum est; quòd te Regem & Christum dixeris, consentiente tibi Patre & sermonem confirmante sequentibus signis. Denique malefactor non es, qui omnia bene fecisti. Astat JESUS, & silet. Rex impius intuens in eum sperat, se aliquid acceptu-rum ab eo, vel certè signum aliquod visurum. Quis obsecro, mi JESU! sciret, contra criminatores & derisores pugnandum esse silentio, nisi exemplum dedisses, ut sequeremur vestigia tua?

STATIO II.

ATRIUM.

PAlatium Herodis, ut dixi, habuit in medio atrium amplissimum & Porticibus magnificum: in hoc ductus est JESUS veste alba indutus, ut sperneretur ab exercitu. Priusquam hinc abeamus, cum Matre dolorosa consideranda nobis sunt tria. 1. Herodes. 2. Exercitus. 3. JESUS in veste alba.

I. HERODES.

A Judice ad Judicem, mi Jesu! à foro ad forum, à tribunali ad tribunal, à Sacerdote ad Præsidem, à Præside ad Regem, à Prætorio ad aulam non jam duceris, sed traheris & raperis. Iterum namque Pharisæi cum Herodianis consilium fecere, ut te perdant. Prophani æquè ac sacri fori capis experientiam; ne mireris post hoc de judicijs querelas pauperum. Causa tua quia quæstuosa non est, nec patronũ invenit nec judicem. Patrissat Herodes, cùm te videre vult,

vult, in hoc solo patre mitior, quòd, cùm te posset occidere, non vult; quod tamen pater volebat, si potuisset. Pater à Magis illusus est, hic à seipso; quòd cùm tuam tibi vocem Joannem ademisset, adhuc à te responsum exigeret. Scire debebat, agnos tacere visos à lupo, nec columbas vocem emittere in præsentia vulpis. Exspectat monstra; sed silet JESUS: nam in præsentia derisorum signa facere vel non potest, vel non vult. Nam & hîc nullum fecit, & cùm principis filia suscitanda esset, qui deridebant eum, importuni in luctu musici, priùs ejiciendi erant. Ne tamen nullum signum det, signum dat de cælo, Deum illi spectandum præbet miserum & Verbum mutum. Cæterùm pascendis aulæ otijs JESUS natus non est; omnium utilitatem intendit, non admirationem. Rideat sanè Herodes. Erit cùm & ipse à populo similia patietur.

II. EXERCITVS.

Regis ad exemplum tota hæc componitur aula: quæ simul ac ingressa eam veritas est, non mediocriter turbatur; quando ne nomen quidem veritatis in aula toleratur. Contemptu contentus est Herodes; quia eum pater heredem iræ in Christum non scripsit, quam totam ipse absumpsit, cùm pueris bellum indixit alter Pharao: eóque tempore humanitatem exuit, quando eam Deus induit; ne quid credo cum Deo commune habeberet. Sic DEO pacis nunquam quies fuit inter milites. Jam in Pilati domo dona parant, è quibus arguere eos liceat leves ex arundine, cruentos ex purpura, & ex spina rapaces. Inter hos quando Regem ages, tributi nomine aliud non colliges, quàm alapas, sputa, probra. His nempe solis abundant, aliarum rerum nullam milites haberent, si quisque, quod suum est, haberet.

Bonam mentem, Herodes! ut Reges proximi Dijs sint; ludere tamen cum Dijs non consuevere, nedum i's illudere, quantumvis lignei sint. Ita ipsi vero Deo familiaritas nimia parit contemptum: & doleret minùs JESUS, si nulli se hominum fecisset nimis sodalem. Sed nec tibi nec tuis credas, ô Rex!

fatuum putas? non est. Terribilis est, & qui aufert Spiritum principum, terribilis apud Reges terræ. Interroga Patrem tuum, & dicet tibi. Ipse est sapientia, sine litteris; & profecit sapientiâ, & gratiâ apud DEUM & homines; & tamen litteras non didicit, quia erat fabri filius. Ista sapientia Dei apud homines stultitia est.

Artes pascendi & regnandi, sorores sunt: nemo pastorum ovem suam sic tractat, ut tu hunc subditum. Non oportet quemvis à sermone principis tristem recedere, nec minùs probro sunt Regi multa supplicia, quàm medico multa funera. Si nescis, qui fratri suo dicit fatue, reus est gehennæ ignis. Frustra hæc omnia: Nam arrogantes inflat felicitas, & res secundæ insolentiam pariunt: quin & arrogans nemini amicus est, & superbus neminem putat esse humilem. Ex silentio stultum arguit Herodes JESUM, cùm deberet sapientem. Nemo stultus tacet. Sed hæc aularum sapientia est, ubi felicitas Dea est, non DEI donum; ubi vera gloria non est, quia veræ virtutis umbra non est; quā rarò post se aula trahit. Rex DEI imago cùm sit viva, & animata, respicere humilia debet. (quamvis ei prohibitum non sit, alta à longè cognoscere) Herodes in peccatis natus totus, tantæ doctrinæ incapax, spernit cum suis, quòd non intelligit: discere dedignatur, quod ignorat. Bonam mentem, ô Rex! est DEUS, non reus, quem vides; & signum, quod petis, facit maximum, ferendo, ut Sapientia habeatur pro stultitia. Unum est, quod miror: Vulpes cùm sis, quòd cum exercitu spernas dimittásque virum, quem Pater tuus puerum cum exercitu timuit, & quæsivit:

Quæ tunc dixerit Herodes ignoro; quæ olim dicturus sit, JESUM & Apostolos cùm videbit, prædixit Sapiens ille, quando Herodem cum sui similibus sic loquentem inducit. Hi sunt, quos aliquando habuimus in derisum, & in similitudinem improperij. Nos insensati vitam illorum æstimabamus insaniam, & finem illorum sine honore. Ecce, quomodo computati sunt inter filios Dei, & inter Sanctos sors illorum est!

III. JE-

III. IESVS IN VESTE ALBA.

ITerum, credo, te transfiguras Domine in veste alba: atratum te tam bona causa non patitur. Condonas exercitui, quòd te negligat: nosti enim, in aula plus exemplum Regis, quàm Dei posse. Bacchanalia in aula Herodis celebrantur, quando sapientia vestitur veste stultorum, & stultus Herodes veste sapientum. Sed hi mundi aulæque sunt mores, ubi novum non est, sapientem haberi pro stulto. Certè nunquam securior David fuit, quàm cùm eum aula risit & ipse aulam. Sed væ tibi, ô Rex, qui spernis: nónne & ipse sperneris? nihil tibi proderit, vulpem fuisse. Vulpes foveas habent, quin & tu vermium esca foveam habes paratam, in quam præcipitatus cadas, qui paulò antè acceptus eras in oculis universi populi. Veniet super te hoc malum, & nescies ortum ejus. Hæccíne reddis Domino tuo, popule stulte & insipiens, ut eum pro stulto habeas? verè facti sunt stulti principes Taneos. Etenim qua Christus veste stultus, eadem & innocens declaratur. Sic honoratur, quem Rex honorare vult. Sic cor hujus quoque Regis in manu Dei est; ut vel nolens testimonium perhibeat veritati. Verè vana sunt opera populi hujus, & risu digna. In tempore visitationis suæ peribunt, & erit, qui in eorum interitu ridebit. Tot sæculis quæsita (quam Adamus pro pomo vendiderat) candida vestis, ab humili JESU, & taciturno in aula Herodis, nemine vel advertente, vel suspicante reperta est. Congaudent Cælites & congratulantur: nam ut & ipsi in vestibus albis apparere possint, jam se parant, post biduum affuturi.

Quoties JESUS pannis involvitur, semper innocens, semper infans est. Quia peccatum non fecit, nec inventus est dolus in ore ejus. Ita justi simplicitas deridetur, & infans creditur, qui tacet. Factus est JESUS in derisum omni exercitui, & canticum eorum, qui nesciunt, quòd sapientia hujus mundi stultitia sit apud DEUM. Interea JESUS habetur quasi stultissimus virorum, & inimici ejus sunt judices innocentiæ ejus. Ipsi autem pro minimo est, ut ab eis judicetur. Nesciunt sanè illi, JESUM suis mer-

cari vestimenta, quæ in sanguine agni lota fiant alba, qualia non possit facere fullo super terram.

Herodes mali corvi malum ovum licèt sit, patris tamen honorem tuetur, & vindicat contemptum: Erat is illusus à Magis propter Christum; his paria referre filius Herodes cùm non possit, Christo illusionem reddit, quam se Magis debere putavit.

VIA V.

MATRIS DOLOROSÆ.

AD PALATIUM PILATI.

QUale sit Palatium Pilati, diximus suprà, quótque gressibus perventum sit ad Palatium Herodis. In reditu tamen longior via tenenda fuit, ut frequentia populi vitaretur, sexcentísque gressibus reditum est ad Palatium Pilati, non sine novis tormentis JESU mei. Ut ex ordine progrediamur in hac Via Mariana, eam in octo stationes distinguam. Erit

1. Prætorium.
2. Lithostrotos.
3. Cubiculum.
4. Lithostrotos.
5. Locus primæ flagellationis.
6. Cubiculum.
7. Arcus.
8. Locus secundæ flagellationis.

STATIO I.

PRÆTORIVM.

AB Herode reductus ad Pilatum excipitur in Prætorio, refertúrque, nihil illi morte dignum contigisse. Prætorium suprà descriptum est. Priusquam hinc abeamus, cum Matre dolorosa nobis considerandi sunt, Pilatus & Herodes.

PILA-

PILATUS ET HERODES.

EST in lacu leonum alter Daniel. Hinc Herodes, illinc Pilatus, minùs quàm homines, plus quàm leones. Nihil tamen factum est Christo morte dignum. Inter superbos semper sunt jurgia, nisi Christus medius sit & mediator, qui solus auctor pacis inter tales esse potest. Et quanquam superbia consortium omne odio habeat, & perfidorum amicitia incerta sit; tamen Herodes & Pilatus principes convenerunt in unum adversùs Dominum, & adversùs Christum ejus. Sed impiorum amicitia vera esse nunquam potest: præclarum enim virum judico, cui vel umbra veri amici contigit. Amicitiæ sancto nomine digni non sunt, quorum una anima in duobus corporibus esse non potest. Excedis vota hominum & promissiones tuas, ô Deus! quando non bonæ tantùm, sed & pessimæ voluntatis homines pace tua dignaris.

STATIO II.

LITHOSTROTOS.

LOcus jam suprà descriptus est. Exijt Pilatus tractaturus cum Judæis. Priusquam hinc abeamus, cum Matre dolorosa consideranda sunt nobis quinque.

1. Verba B. V.
2. Testes.
3. JESUS.
4. Pilatus.
5. Uxor Pilati.

I. VERBA B. V.

SEcunda lancea, quæ transibat cor meum, erat accusatio ejus: nam accusabant eum dicentes, eum proditorem, & mendacem & etiam Insidiatorem esse. S. Brigitt.

II. TESTES.

NOn omni verbo credas, ô Pilate! falsos hos esse & nullius fidei testes, quæsitos, emptos, instructos, vel tacente JESU disces. Tacet

cet ille, etiamsi multi falsi testes accedant; ut te doceat, fatuorum cor esse in ore, sapientum os esse in corde. Examina, videbis eorum testimonia convenientia non esse, de schino & de prino loquentur sacrati latrones, à senioribus instructi ipsi senes; ut videas nullis frondibus obumbrari posse falsitatem, nullis truncis opprimi veritatem. Verum est, quòd in ore duorum vel trium stet omne verbum: quin & ipsa lex præcipit, ut in ore duorum pereat tertius, qui interficiendus est, si verum sit, & conveniens testimonium eorum: quòd si & falsum sit, nec multi quidem sufficient. Quid est, mi JESU! quòd contra te solum multi falsi testes procedant? Contra Nabothū non nisi duo: nec plures contra Susannam. Debebat fortè Pilatus discere, quid esset veritas ex ore falsorum testium, qui nolebat ex tuo? Cùm esses in deserto, accessit tentator: cùm esses in monte Oliveti, accessit ad te proditor, par nobile fratrum. Par alterum non dissimile reservârunt inimici tui velut triarios: nam cùm multi falsi testes accessissent, novissimè venerunt duo falsi testes, filij Belial, nescientes, os quod mentitur, occidere animam. O Maledicti! posuistis mendacium spem vestram; cùm deberetis veritatem loqui unusquisque ad proximum suum? quomodo sustinuistis peccare, & mentiri contra Dominum? veritatem, quam vos venditis, à vobis requiret Dominus. Hócne est, veritatem & pacem diligere? utinam taceretis, ut putaremini esse sapientes! sed nunc ex ore vestro judicabimini, & condemnabimini ex verbis vestris, servi nequeam.

Convenientia non fuisse horum testimonia, desine mirari, Pilate. Nam qui multa mentiuntur, memores esse non possunt. Etiam jurant: minus credo, quia juramentum non affert fidem viro, sed vir juramento. Ipse Pilatus fidem his testibus non habet, quoniam non est in ore ipsorum veritas. Labia eorum dolosa: in corde, & corde, id est, duplici corde loquuntur.

Regem JESUS se facit? sed dolum qui allegat, probare debet. Templum dixit se destructurum? sed quia antea malè dixisti, etiam nunc præsumeris dicere malè. Fabulam dicis, si fabula est, quæ nec verum nec vero simile habet. Imò si rigoroso hîc juri locus esset, testis iste

iste dolo malo in causa capitali deponens contra innocentem, punietur, ut homicida. Homicidij namque genus est, famam hominis impetere. Sed quia hi ex Patre Diabolo sunt, qui fuit homicida ab initio, patrissare creduntur. Censum dare Cæsari prohibuit? commovit populum? Regnum affectavit? Hæc illis dicentibus & crepantibus, cognitâ JESUS nequitiâ eorum, tacuit.

Quid agis, Pilate! hic JESUS patrono caret, testem pro se nullum adducit, ipse de seipso non loquitur, etiam interrogatus, etiam à Judice. Si peritus juris es, ut esse debes, ad testimonium dandum cogere potes, debésque, quotquot præsentes fuisse & conscios, dictis factisque Christi deprehendis: qui utique juris tutelâ securi non verebuntur dicere, quod res est. Nam manifesta negare irreverentia est. Non ignoravit Pilatus, quòd per invidiam tradidissent eum: sciebat etiam, quòd suspicio pariat calumniam; quando calumniari nemo potest, qui non invidet; & denique quòd omnis accusatio præsumatur fieri causâ invidiæ. Si JESUS testimonium perhiberet de seipso, testimonium ipsius verum esset; quia scit ipse, unde veniat, & quò vadat. Vos autem ô Judæi! nescitis, unde JESUS veniat, aut quò vadat. Quòd si testimonium ejus non recipitis; est, qui pro eo testimonium perhibeat, Pater; quem vos dicitis, quia Deus vester est. Quis itaque ex vobis JESUM his fultum testimonijs arguet de peccato?

III. IESVS.

MAgnus morbus est, silere non posse. Quantumvis virtuti damno nunquam fuit latuisse, & silentium sit verbi nutrimentum; audire tamen & tacere, nobis res est difficillima. Silentium quandoque sapientis responsi loco habetur; & nonnunquam non minus oratorium est tacere, quàm loqui. Et certè vir prudens tacebit, quando nobis deformius est, respondere furiosis. Artificem eloquentiæ credo eum fuisse, qui mutum fecit. Resiste iræ, si potes; si non potes, cede. Si vindicare vis, tace; & funestam intulisti plagam. Si quis in verbo

non offendit, hic perfectus est vir.

Aliæ tamen & plures fuere Jesu meo causæ tacendi: nam cur loqueretur Herodi, cur responderet Pilato Gentilibus, qui Gentili Chananææ non respondit verbum? semper JESU meo hic mos fuit, ut, cùm responderet, doceret ut pastor; cùm non responderet, obmutesceret ut ovis. Qui nobis natus erat, erátque pro nobis moriturus, oportuit ut & pro nobis taceret. Sic docemur, cavillis respondendum esse silentio; mansuetudine potestatē reddi honoratiorem; pacem esse characterem animæ piæ; rerum contemptu constare fortitudinem. Sic est profectò: felix nidus humani cordis patientia est, ubi bonorum operum thesaurum reponas à tineis & furibus securum. Amuletum hoc qui secum portat patientiæ, ab hostibus quoque securus erit, eósque vincet nihil agens: sive enim eum stantem, sive sedéntem, sive quid aliud agentem adoriantur, abibunt victi.

Verè tua virtus, ô JESU! quam è cælo in mundum inter exotica detulisti, licèt hic pari periculo taceas, ac locutus sis in domo Caiphæ; quia tamen non habes, quod in tam bona causa defendas, quod in accusatione tam stolida confutes, luculentissimam objectis Apologiam obijcit, silentium. Notorium enim cùm sit, quod major par populi scit, téque nemo nesciat, regnum oblatum respuisse; nemo est, qui probet te affectâsse: & quantumvis boni viri sit, infamiam etiam falsam metuere; tu tamen, ut de te prædictum scriptúmque est, non contendes neque clamabis, neque audiet quispiam in plateis vocem tuam.

O anima mea! Verbum silet in terra: hinc non mireris, quòd factum sit silentium etiam in cælo; Ita ut nasci non voluerit, priusquam silentium tenerent omnia, & nox in suo cursu, ut nunc, medium iter haberet. Sed nec mori cras volet, nisi inter amica silentia noctis meridianæ. Ita pascitur tenebris & silentio. Diffusa est aliàs gratia in labijs ejus, fluítque sicut ros eloquium ejus: nunc tamen, anima mea! tacet, ut tu justificeris in sermonibus tuis. O anima mea! audi JESUM. Qui inquirebant, inquit, mala mihi, locuti sunt vanitates, & dolos tota die meditabantur: ego autem

autem tanquam ſurdus non audiebam, & ſicut mutus non aperiens os ſuum: & factus ſum ſicut homo non audiens, nec habens in ore ſuo redargutiones. Obmutui & humiliatus ſum, obmutui & non aperui os meum. Hæc audis, anima mea! & nondum perfectionis tuæ menſura eſt patientia? Nondum juſtitiam colis ſilentio? cùm tamen in ſilentio & ſpe ſit fortitudo tua, & in patientia tua jubearis poſſidere animam tuam. Loquens tibi JESUS per ſilentium, ſi neſcis, vult ſibi reſponderi per ſuſpirium. Si tacet, ideo tacet, ut tu ſcias, quòd hominis ſit, præparare animam, & Domini gubernare linguam; à quo dabitur tibi in illa hora, quid loquendum ſit.

Quandoquidem itaque, ô Domine! tu taces, labia mea aperias, ut olim aperuiſti ora Prophetarum, ut os meum annunciet laudem tuam; quando ſtetero ante Reges & Præſides Herodi & Pilato ſimiles, téque meo non tantùm ſilentio, ſed & verbo, quin & ſanguine glorificem. Amen Amen.

IV. PILATVS.

CUm Pilatus in JESU cauſam mortis non inveniat, modum quærit, quo vel eum à morte, vel ſe ab eo liberet. Utrique conſilio pertinacia Plebis obviam ijt, cui Pilatus par non fuit, quia timidus. Comes eſt populus, ut umbra Principi ſedenti ſtantíve: quin euntem etiam, modeſtè ſequitur; ſed fugientem & timidum etiam perſequitur. Magnum malorum magnorum remedium eſt mora, & frequenter temporis dilatio lucrum facit, præſertim in vulgo, in quo conſilium non eſt: quanquam perpetua cunctatio actiones imperfectas facit. Et plerumque ſera pro nullis ſunt.

Nec erat difficile trahere moram, in qua tunc periculum non erat. Quis pro Chriſto locutus eſt? Nemo. Atqui Advocatum dare debet Judex ei, qui habere non poteſt; & quod actoribus Judæis licebat, non debebat prohiberi Chriſto reo. Sic cauſa trahenda erat. Ipſe Herodes Pilato pejor, Petrum non ante, ſed poſt Paſcha cogitabat producere populo. Quis unquam Judicum cauſam capitalem, ubi mora

periculum non fecit, trium spatio horarum audivit, cognovit, judicavit, & sententiæ præcipitavit executionem? Beneficium juris nemini auferendum est. jactat Pilatus, posse se JESUM dimittere: si potest, etiam debet; quia judex non justitiam modò, sed ex justitia etiam clementiam debet. Vult populo & Christo, duobus Dominis servire, verè piger, quia vult & non vult. At Regnum affectâsse dicitur, neque ipse se Regem à Judice interrogatus abnuit. Itaque novo facto novum consilium, novæ rei novum remedium; ut novis morbis nova cura quæratur. Sed tam mitem animam ciere turbas potuisse, poterat non credi, imò debebat; quando tam facilè ex manifestis etiam multa deprehendi poterant. Bene omnia fecit. Vivit Lazarus, Barthimæus, Hæmorrhoissa. Non aberit multùm centurionis servus, Reguli filia, viduæ filius, Petri socerus, præter alios innumeros. Stabit in ore duorum aut trium millium omne verbum, quod stare in ore duorum aut trium potest debétque. Quid enim mali fecit, quando mundus per ipsum factus est, & sine ipso factum est nihil, quando omnia per ipsum facta sunt, & erant valde bona?

V. VXOR PILATI.

PAuperem & desperatum oportet esse clientem, qui patrocinium quærit à femina. Miser hic est cacodæmon, qui vera loqui non potest nisi per somnia, quæ nec à simplicibus quidem prudenter observantur. Quid somnium feminæ possit apud eum, apud quem ipsius DEI monita pro somnijs habentur? & ipsa veritas de veritate loquens non auditur, nisi forté tales sint auditores, qui quando à veritate auditum avertunt, ad fabulas spontè convertuntur. Væ marito, qui uxorem habet ornatam in similitudinem templi: nam profanationem timeat necesse est; nisi munus æditui ipse diligenter obeat, & curam gerat sui idoli. Horrere Christianus non parùm debet feminæ tactum, quem Christus ipse tam solicitè bis arguit. Non odiendo tantùm, sed & amando lædit, serpente peior: amplectendo necat, ut scorpius: sive videatur sive videat; ut basiliscus interficit. Litigan-

tigandum est uxorem habenti: & si quem videris non litigantem, is cælebs est. Adhæc quid credendum feminæ sit, paradisus nobis schola est, præceptor Deus. Nunquam Dæmon verum dixit, quando per feminam locutus est. Dæmonibus æquè ac feminis vafrities est pro sapientia, & in consilio malo vincunt feminæ viros. Malè agitur cum domino, quem villicus docet; peius cum Pilato, quem uxor, cujus, ut plurium feminarum, stulta semper petitio est. Hæc femina nisi viri sui portio fuisset, maritum, qui cæterà uxoriæ voluntatis arbiter esse deberet, in ipso tribunali causas agentem publicas, tam operosè non interpellâsset. Amens Pilatus fuit, quia amans: atque ideo in occulto locutus est nihil, quantumvis uxori multa dixerit in secreto. Ad hunc Adamum hæc Eva mittenda non erat. Modesti hominis ut sit, velle à quocunque moneri, non tamen convenit à femina: cujus consilium semper est invalidum, præsertim somniantis. Nam licèt principum somnia, quia paria curis sunt, non omnino negligenda sint; plebis tamen somnia, & præsertim feminarum, semper & ab omnibus spernenda esse, sententia est sensúsque sapientum.

STATIO III.

LITHOSTROTOS.

LOcus jam suprà descriptus est. Priusquam hinc abeamus, cum Matre dolorosa tria nobis consideranda sunt. 1. Invidia. 2. Consuetudo. 3. Barabbas.

II. INVIDIA.

EO ipso major Christus est populo; quia qui invidet, minor est. Scivit itaque Pilatus, quòd per invidiam tradidissent eum. Poterat itaque judicare secundùm id, quod ei notum erat ut notorium, adeóque dimittere. Felicium umbra est invidia, & Diaboli inventum, & tormentum virtutis. Malim tamen invideas mihi, quàm com-

compatiaris: nam quamdiu me sequetur invidia, felix ero; infelix esse cùm cœpero, quàm primùm invenietur, qui compatiatur. Alijs armis Dæmon virtutem non oppugnat, quàm invidiæ telo: quod tamen ut plurimùm plùs offendenti nocet, quàm offenso. Tolle invidiam meam; & tuum est, quod habeo ego: tolle invidiam tuam; & meum est, quod habes tu. Invidisse quoque vitam Christo diceris, & tu Pilate! quando Judæorum invidiæ non obviâsti. Error enim, cui non resistitur, approbatur; & facere dicitur Judex, qui patitur, quod prohibere potest.

II. CONSVETVDO.

Consuetudo decem annorum spatio vetustatem acquirit: & si vetusta sit, dat jurisdictionem, vim legis obtinet, potestatem principis habet, & fit altera natura. Si bona sit, eò erit firmior; nam mos bonus stabilior est lege. Hanc sequitur Pilatus, & privilegium à consuetudine roboratum obtrudit etiam invitis; & consuetudinem consuetudini opponit, sciens malis non esse consuetudinem, liberare bonos. Expertus id est in Barabba, quem unanimi consensu, támque concordibus omnium votis, privilegio non nisi bonis de jure profuturo, donant. Hic malorum mos, hæc est consuetudo. Et poterat hoc privilegium, etiam consuetudine firmatum, tolli Judæis; quando in bono jure, omne privilegium per non usum, & à fortiori per abusum tollitur.

III. BARABBAS.

O Judæi! ecce bonum & malum, vita & mors, Filius Dei, & filius, qui ex Patre Diabolo est. Dixit nuper Deus è cælo: ecce Filius meus, in quo mihi complacui. Dicit nunc idem ex inferno Dæmon, nec minùs sibi complacet in Barabba; quia & ipse erat homicida ab initio. Utrum vultis? Patres vestri beneficijs à Deo pressi, jugum excusserunt suave, & præ Deo elegerunt vitulum. Vos nunc impletis mensuram Patrum vestrorum, & præ JESU eligitis Barabbam, in hoc

hoc patribus peiores; quòd illi ex metallis elegerunt optimum, vos ex hominibus pessimum. Noluistis benedictionem, & elongabitur à vobis; eligitis maledictionem, & conceditur vobis. Sic ligna olim elegerunt Rhamnum, ex quo ignis egressus cedros libani combussit. Sic etiam Carrabam Alexandrinum hominem insanum in Barabba pro Rege sublimâstis, & pœnas luistis.

Quæ conventio Dei cum Belial? Christi cum Barabba? lux venit in mundum, & homines magis dilexerunt tenebras quàm lucem. Mendaces filij hominum in staterâ suâ, in qua mors vitæ præponderat. Væ vobis, qui dicitis malum bonum, & bonum malum, ponentes tenebras lucem, & lucem tenebras, ponentes amarum in dulce, & dulce in amarum! Occidatur ille, qui suscitat mortuos; & dimittatur ille, qui occidit vivos! Interfectorem hominum eligitis ad vitam, & Servatorem hominem postulatis ad mortem. Dico vobis, quia petendo Barabbam immundi facti estis, neque alia vobis emundationis spes relicta est, nisi ut baptizetur unusquisque vestrûm, & fructus dignos agat pœnitentiæ. Sed, ô mi JESU! quàm diversa tibi à Judæis est mens! nunc tandem intelligo, humani generis peremptorem (non parentem) Adamum absolutum, dimissum ab infirmitate sua, latrocinio, inquam, generis humani.

O bonam consuetudinem liberandi unum vinctum, quam non nisi à te discere homines potuerũt, ô JESU! certè liberatus æger ad piscinam probaticam ad motum aquæ, symbolum fuit omnium liberandorum in piscina sanguinis tui sacratissimi, sed eorum, qui merebuntur liberari. At verò consuetudo illa, liberari unum vinctum Barabbam, spem mihi facit, quòd & tu secundùm consuetudinem tuam me indignum sis liberaturus. Quin & aliud cogito, consuetudinem liberandi unum vinctum, quem voluissent, figurâsse mihi consuetudinem illam, quam Ecclesiæ tuæ reliquisti, liberandi per modum suffragii ope indulgentiarum unum vinctum in Purgatorio, quem vellemus. O anima! an nunquam vidisti hominem, qui propter interesse (ut vocant) Christum damnat? Hic Barabbas est. Quin & omnis ille Barabbam præ Christo, quem da-

damnat, eligit, qui mortali se delicto contaminat. Hoc priusquam eligas, perpende.

STATIO IV.

CUBICULUM SECRETUM.

PLura fuerunt in Palatio Pilati cubicula secreta: in horum unum Pilatus sæpius JESUM solum introduxit. Sunt qui olim in cubiculorum uno adhuc se vidisse scribant picturam Pilati cum JESU loquentis. Priusquam hinc abeamus, cum Matre dolorosa duo nobis consideranda sunt. 1. Potestas Pilati. 2. Veritas.

I. PILATI POTESTAS.

QUid gloriaris in malitia, qui potens es in iniquitate? tota die injustitiam cogitavit lingua tua. Dilexisti malitiam super benignitatem; iniquitatem magis, quàm loqui æquitatem. Dilexisti omnia verba præcipitationis lingua dolosa. Quæ tibi in JESUM potestas? reus Galilæus est? adeóque Herodis. Causa blasphemia? ergo sacerdotis. Nec Sacerdos nec Rex Galilææ es: quem teipsum facis? atque ut concedam, reum causámque tibi tuóque foro deberi; Judex tamen occidere non potes eum, quem lex vivere permittit; & dimittere debes, quem nemo nocentem probavit. Non est potestas nisi à Deo, ergo nec tua. Dei beneficio si superbias, Deo maledicis. Principi quandoque est pro ratione voluntas, non judici, cui nec ad dextram nec ad sinistram declinare conceditur; quia rectà eundum est, qui pro recto decernit. Alteri vivas oportet, non tibi, si officium tuum nemini damnosum esse velis. Utere potestate tua, aut decede Officio; in quo si times, peccâsti.

II. VERITAS.

INvenit malus discipulus bonum præceptorem; cujus tamen interrogatione contentus, non sustinuit exspectare responsum. Disputat

putat ineptus Philosophaster de nomine, quod etiam cæcus natus potest, etiam quando sermo est de coloribus. Diceret JESUS, quid sit veritas, si præsto esset, qui audiret; tacet autem, quia nemini nisi audituro dicendum est; & meritò ei celatur definitio veritatis, qui veritatem cognitam, etiam contra plebeios tam imperitè oppugnantes, defendere non potest, ad primum vulgi flatum confractus, verè homo, verè bulla. Sed verbum mihi ad te est, ô Pilate! quantumvis dicere magis, quàm audire assuetus sis: sustine tamen parumper, & audi, quæ tibi de veritate dico. Veritas omnia vincit, tutiùs auditur, quàm prædicatur: quanquam si audiatur, odium parit, filiam malam bona mater. Quibus resistit, eos offendit. Dulcis & amara est: semper plus oculis quàm auribus creditur: & tamen tantùm à mendacio distat veritas, quantùm oculus ab aure. Omnibus patet, etiamsi solus Deus veritatis doctor sit. Difficilis facilisque est, jucunda & acerba. Saporem accipit ex vicino, ut colorem Chamæleon. Laborare semper solet, sed nunquam vinci. Nec unquam veterascit, quia perpetua est. Honestè factis sola sufficit, superbiæ nunquam non inimica. Eum, qui veritatem non defendit, veritatis proditorem credas, dicas. Hæc ut tibi arrident, Pilate? nova sunt, non dubito, quin & odiosa. Certè si veritatem JESUS dicit, non ei creditur: si, quid veritas sit, parat dicere, non auditur.

STATIO V.

LITHOSTROTOS.

Locus jam suprà descriptus. Priusquam hinc abeamus, cum Matre dolorosa tria nobis consideranda sunt. 1. Judæi accusantes. 2. Judas desperans. 3. Pilatus corripiens.

I. IVDÆI ACCVSANTES.

Accusator præsumitur caluminari statim, quod probare non potest: quin affirmans probare tenetur, & semper necessitas proban-

bandi incumbit actori. Nemo unquam bonus accusavit insontem. JESUS bonis parentibus, ut ipsi creditis, natus, præsumitur bonus. Quis vestrûm ab ipso mali quid factum vidit? audivit? qui omnia benefecit, nemini nocuit, nemini non profuit, qui sibi ipsi noluit obesse. Quem occidit? quem vulneravit? quem habere morbum fecit? At bene ægros sanavit, vulneratos curavit, mortuos suscitavit. Quis vestrûm arguet illum de peccato? quæretur quidem peccatum illius, sed non invenietur. Nec capere illum in sermone potestis, nec interrogare illum ampliùs audetis: unde ergo est Malefactor? sed hoc impiorum est, omnes se peiores arbitrari; piorum, omnibus se peiores.

Vos legem habetis, & nemo ex vobis facit legem. Scripturarum intellectus est fidei præmium. An putas filium hominis invenisse fidem in terra? si nescis, mens legis prævalet verbis: nam ratio legis est anima legis: quæ si bona sit, emendantur mali; si mala, probantur boni. Et licèt consuetudo, si bona sit, vim legis obtineat; mala tamen si sit, neminem obligat. Atque ut JESUS contra legem fecisset, ei tanquam legislatori Lex, non ipse legi subjectus est. Sed ista est lex Adam, non vestra, expedire JESUM mori pro populo, ne tota gens pereat. Secundùm hanc debet mori. Ita vel inviti & imperiti legem servatis. Utitur nempe sic voluntatibus hominum malis Deus ad fines bonos.

II. IUDAS DESPERANS.

CRede mihi, miseros prudentia prima relinquit; & licèt nemo misero invideat, inops tamen consilij, ubique miser est: neque alia ei spes super, quàm ut non desperet. Quid ageret Judas, videns quod futurum erat cum JESU? pretium quidem abjectum est & redditum; non tamen redditus est appretiatus Christus. Humanorum consiliorum eventus plurimùm spe minores sunt, Judæ majores. Conscientia namque perversa sperare non potest, quia scelera consilium non habent; quin ipsum persequitur peccatores malum. Inani pavore terri-

territus Judas, argentum quod ſitivit, ſibibit, ac ſeipſum terrens, idem ſemper & alius, ibi ſemper & alibi, ſe fugit & ſequitur, ſceleſtum ſceleſtus: umbram ſuam pavet, mendax mendacem. Se timeat neceſſe eſt, qui Deum amare noluit: ſibi non alijs imputet. Proſpicere namque qui debuit, & non proſpexit, tenetur. Parùm metuenda pœnitentibus deſperatio eſt: verè enim ſerióque qui pœnitet, de miſericordia Dei, quam poſtulat, etiam præſumit; tantum abeſt, ut deſperet; ſed tarantulæ morſu agitatus ſaltare non deſinet, quamdiu ex alto poteſt.

Bene eſt: ultimam operi manum imponit operarius iniquitatis: & ne facinus tam inſigne maneat incoronatum, laqueo coronat. Bene omnia, niſi quòd laqueum, quem pridie meruerat, jam primùm induit. Lapidea illi ſunt viſcera, ſaxeum cor: quid ni ergò cùm petræ ſcindendæ ſint, etiam ipſe rumperet, & creparet medius? Projectis argenteis vivere diu Judas non potuit. Quomodo enim avarus viveret ſine argento, quando homo non poteſt ſine ſanguine? alijs hominibus anima eſt in ſanguine, avaris in argento. Spera in Deo, ô perdite proditor, & fac bonitatem: ſperantem in domino miſericordia (quæ pallium breve non eſt) circumdabit, tegétque.

Jam ſi cætera negligis, tibi parce: quia ut tibi parceres, ad tuos JESUS provolutus eſt pedes. Sed facinore admiſſo ad ſanitatem redire pudet, & dolor nimius, quia non deliberat, animum demergit, & timere neſcit; vel ſi timet, ſine ſpe in deſperationem præcipitat. Multos certè fortuna liberat pœnâ, nullum metu. Maleficium nullum ſine formidine eſt; quia nullum ſine conſcientia eſt. Fugit itaque impius etiam nemine perſequente: nullus enim perfido tutus locus eſt. Semper præſumit ſæva, perturbata conſcientia. Et verè miſer eſt, qui ſuâ culpâ miſer eſt. Humani gaudij ſemper ſequela mœror. Infamem eſſe, magna eſt infelicitas. Repentè infelicem eſſe, generat iracundiam: iracundiæ flos inſania eſt. Quid exſpectas niſi, ut iracundum inſania interficiat? nullum certè ſcelus impunitum eſt; quia in ſcelere ipſo ſupplicium eſt. Stimuli peccati mors.

Suſpendium elegit anima Judæ poſt longam deliberationem, & jam laqueum accuſat. Quid miſerius homine non miſerante ſe? Plenum laboris eſt, ſcandalum ſcandalo reſarcire. Utut malitiæ magnus ſit labor, malus ipſe ſibi pœna eſt; & accuſat mens ipſa, quod perpetrat: nec vivere vult, nec mori poteſt. Malorum tempus breve eſt, & anni impiorum breviabuntur: imò viri ſanguinum non dimidiabunt dies ſuos. Ipſi homines longioris vitæ avari ut ſint, præſentis tamen prodigi ſunt. Fit miſeris mors ſine morte, quin cunctantes ipſa mors odit; licèt utrumque timidi ſit, velle & nolle mori. Sed fata viam invenient, per laqueum & viſcera; ut ſciamus avaros eſſe hydropicos.

Nemo in parricidæ ſupplicio commovetur, qui vitam omnibus, mortem nemini flendam tranſegit; quia inſidiatori & latroni non poteſt inferri injuſta nex; etiamſi ipſe ſuus ſit carnifex. Nihil perdidit hac arte humanum genus. Proditor non fit homo frugi. Qui ſibi nequam, cui bonus? in nullum avarus bonus eſt, in ſe peſſimus. Quin dudum jam ſuiipſius homicida ſeipſum occidit: neque enim novum eſt, habere in corpore vivo ſanóque animam ægram, vel etiam mortuam. Qui in corpore ſano ſanam habet animam in æternum, hic beatus eſt. Judas, cujus tota ſpes laqueo clauditur, malè à dæmonio vexatus, & eliſus in terram perit: ſepulchrum, patens guttur ejus, laqueum habet pro urna, arborem pro pyramide.

Diſrumpere, maledicta ignis ſalamandra, & ſit tibi terra gravis! væ homini iſti, per quem filius hominis traditus eſt! bonum erat ei, ſi natus non fuiſſet homo iſte. Sed ita Deus, cùm reprobos punit, ſanctos erudit.

Sed tu latronem vide & Judam. Uterque latro eſt, uterque morti proximus & æternitati, uterque funibus ligatur, uterque ab arbore pendet, uterque Chriſti diſcipulus eſt: ſed prô! quàm diverſâ abeunt viâ! alteruter tibi ſequendus eſt. Elige.

STA-

STATIO VI.

LOCVS PRIMÆ FLAGELLATIONIS.

FUit atrium in Palatio Pilati probabiliter: tum quia plures AA. de duabus flagellationibus loquuntur; tum quia apparet ex columnis duabus, quarum illa, quæ Romæ est, creditur ſtetiſſe in atrio; altera, quæ Hieroſolymis eſt, ſtetit in ſecundo loco, ut dicam. Priusquam hinc abeamus, cum Matre doloroſa conſideranda nobis ſunt tria. 1. Verba B. V. 2. Columna. 3. Flagellatio.

I. VERBA B. V.

S. Brig. l. 1. c. 27.

IN morte Filij mei eram, ſicut mulier habens cor confixum quinque lanceis. Prima enim lancea erat nuditas verecunda & vituperoſa; quia videbam filium meum Chriſtum, & potentiſſimum altare ad columnam nudum, & nihil operimenti habentem.

II. COLVMNA.

SIne columnis populus ex Ægypto non fuit eductus; nec ſine multis columnis, vel Moyſes tabernaculum vel Salomon templum fecit; quid mirum, ſi nec mundus ſine columnis reſtaurari poſſet? & quidem ob repetitam diverſis in locis flagellationem, duabus: ut una per diem pro nube eſſet, quâ tegeremur; altera lucem præberet per noctem, qua illuminaremur: ſicque nobis & contra proſpera, & pro adverſis cautum eſſet. Ut ſua propoſitis noſtris conſtantia non deeſſet, ligari voluit ad marmor. Hinc trepidatio noſtra remedium habet. His enim columnis, funibus alligatus, & JESU meo colligatus, etiam quando columnæ cæli contremiſcent, non commovebor in æternum.

Ecce mi JESU! dedit te hodie Pater tuus in columnam ferream; quia porta inferi ferreæ tibi ſunt ape-

aperiendæ, confringendæ hoc ariete. Duabus, quas sanguine signâsti, columnis, nititur tota inferorum potentia: ita ut Plùs ultrà te ire non optet; nec si velis, permittat; sed potiùs te dimittere per viros & feminas laboret. Si carnificibus credo, quorum sex sunt, & fatigato cuique succedit alter & alter; hîc tibi cadendum est, nec plùs ultrà de cruce cogitandum. At tu, postquam velut alter Achior gloriæ Dei testis fidelis testimonium perhibuisti veritati, verbis nec cum cælo liquandis, nec cum terra perituris, plùs ultrà cogitas; ut sciant tui, amori divino nec metas, nec terminos ab homine poni. Certè nisi te ipsi, qui ligârunt, solvissent, timere poterat impietas, te alterum Samsonem columnas amplexum, totas cum domibus urbes tracturum, terrámque moturum è sedibus, non minore cataclysmo, quàm olim vel aqua fecisset, vel ignis facturus esset.

III. FLAGELLATIO.

Quis non miretur, pacem peccatorum videns? convenerunt adversùs Dominum & adversùs Christum ejus, & super dorsum ejus fabricaverunt hi peccatores turrim Babylonicæ æmulam, quæ ad cælum usque pertingat. Et ut video, non cessabunt à cogitationibus suis, donec eas opere consumment. Vidi ego lapidem, quem reprobaverunt ædificantes: vidi JESUM non tam à carnificibus, quàm lapicidis percussum & abjectum. Vidi petram Horeb, quæ virgâ bis percussa dedit aquam, unde populus biberet. Vidi humeros JESU, virgis sexies millies cæsos, & pro aqua dedere sanguinem: unde non jam unus homo, sed omnis populus & omnes tribus terræ biberent. Vidi Isaac oneratum lignis: Vidi JESUM oneratum virgis: Vidi Tabulas legis digito Dei scriptas primùm, deinde afflictas humi, & diffractas ab homine. Vidi humeros JESU (qui finis Legis est) Spiritûs sancti ope factos, in terram afflictos, & in mille vulnera diffractos. Vidi chartam lineis refertam, in qua cantio descripta tristis. Vidi JESUM vibicibus delineatum, & vulneribus, velut notis descriptum, tam tristi cantione, ut Angeli pacis amarè flerent, cùm viderent,

qua

qua menſura daretur tactus. Jam olim tergum JESU ad patientiam ſpectatores animavit. Impatiens Agar fugerat à facie ſuæ Saræ, verbera dominæ non ſuſtinens. Simul ac vidit tergum tuum, ô JESU! poſteriora videntis ſe; in vulnera & flagella tuo exemplo parata fuit, puduítque ancillam non ſuſtinere à domina, quæ tu Domine tuliſti à ſervis. Certè ſi unquam cælum ſanguine pluit, nunc pluit. Noſtra hæc felicitas eſt: nam quia rubicundum eſt cælum, cras ſerenum erit. Ubi Magdalena? ubi Magdalenæ Alabaſtrum? ubi Samaritanus? ubi Samaritani vinum oleúmque? ad quid hæc tanta tantíque ſanguinis perditio, cujus vel gutta nunc trecentis denarijs emeretur?

Nunquam tibi bene eſt, mi JESU! quoties propter te milites congregantur: ſive enim in horto ſis, ſive in palatiorum atrijs, ubi Reges, Præſides, Principes, cohortem vel exercitum congregant, vel ad riſum vel ad verbera traheris funibus, quibus appendas omne id, quod ad te tracturus es. Qui ante dies quatuor cædebantur arborum rami, in palmas accommodabantur & triumphum: qui nunc cæduntur de arboribus & vepribus, de ſpinis & juncis rami, in coronam jam aptantur, in ſceptrum accommodantur, in flagella colligantur. O impij! ſolvite has colligationes impietatis. Quis non videat virgas has fuiſſe variegatas, & longa verberatione attritas, & decorticatas feciſſe, quod illæ Jacobi figurabant. Ex quo namque in ſanguine Chriſti paſtoris poſitæ ſunt, conceptus varios in oculos ovium faciunt, quantumvis ſerotinos: quorum primus eſt, quòd congregata ſuper me hæc flagella fuiſſe, non ampliùs ignorem. Et fabricâſſent ſuper dorſum meum non jam peccatores, ſed ipſi carnifices infernales; niſi tu dorſum tuum, ô JESU! velut ſcutum bonæ voluntatis interpoſuiſſes. Quoniam itaque, mi JESU! in flagella paratus es, ſcísque multa eſſe flagella peccatori debita; patere, ut ſecundùm legem, quam tu ipſe tuliſti, ex verbis tuis judiceris, & ex verbis tuis condemneris ad hæc flagella, ſitque juxta delicti gravitatem, etiam plagarum modus, id eſt, ſine modo. Ita ſcapulis ſuis obumbrat tibi Deus, ô peccator! ne flagellum appropinquet tabernaculo tuo.

Nunc verè JESUS exinanivit semetipsum, formam servi accipiens, & denudatus quasi unus de scurris. Nunc pro impio pietas flagellatur; pro stulto sapientia luditur; pro mendace veritas necatur; damnatur iustitia pro iniquo; misericordia conficitur pro crudeli. Multa sunt flagella peccatoris, sic est; sed pluraServatoris; neque enim, mi Jesu! aliam ob causam in tergo flagellaris, quàm quia projecisti post tergum tuum omnia peccata mea. Quot verberibus tot ictibus, è petra, quæ Christus est, flamma amoris excutitur. Frumentum electorum es, mi JESU! flagellandus es, ut panis mundus Angelorum invenia-ris à tuis. Conculcant te, quia vitis es, unde vinum fias germinans Virgines. Ita certè vites alligantur ulmis, uti tu columnæ: quamquam te non columna tenet, sed tu columnam; quæ stare non posset stante impietate flagellantium: quorum ego primus sum.

Ecce columnam nubis, quæ nos tegat! ecce columnam ignei amoris, quæ nos ducat! Erecta est in titulum inter DEUM & hominem. Fœdera pacis, flagellis & scorpionibus sculpuntur, ut æternitatem ferant. Fabricaturi peccatores super dorsum JESU, duo virgis glebam molliunt, duo funibus sulcant mollitam, duo uncis ferreis seu scorpionibus carnem velut terram eruunt, verè operarij iniquitatis.

O Judæi! Pater JESU, quem vos dicitis, quia DEUS vester est, vos cecidit flagellis: cur nunc vos filium ejus cæditis scorpionibus? Tanti steterunt fundamenta mansionis tuæ, ô anima mea! quam tibi paravit JESUS in domo Patris sui. Tabescit caro ejus; & ossa, quæ tecta fuerunt, nudantur: membra ejus jam quasi in nihilum redacta sunt: nec cessant tamen, sed super dolorem vulnerum ejus addunt. Vulnus & livor, & plaga tumens. Non est circumligata, nec fota oleo, nec curata medicamine; sed plagis multis impositis semivivo in terra relicto abeunt, paulò pòst redituri, ut redivivus pro recidivis iterum flagelletur.

STA-

STATIO VII.

CUBICULUM.

PLura, ut suprà dixi, cubiculà fuerunt circa Prætorium. In horum uno (nescitur tamen certò) quod nunc culina est, creditur Pilatus lavâsse manus: atque in eodem etiam creditur JESUS spinis coronatus, & opprobrijs affectus. Et fortè cubiculum hoc fuit Ecclesiæ sacrarium. Priusquam hinc abeamus, cum Matre dolorosa quinque nobis consideranda sunt.

1. Verba B. V.
2. Corona.
3. Arundo.
4. Purpura.
5. Adoratio ludicra.

I. VERBA B. V.

S. Brig. l. 1. c. 27.

TErtia lancea mihi erat Spinea Corona ejus, quæ sic immaniter pupugit caput ejus sanctissimum; ut sanguis deflueret in os ejus, in barbam, & in aures ejus.

II. CORONA.

VEnite & videte, filiæ Sion Regem vestrum in diademate, quo coronavit eum mater sua Synagoga. Si Rex est JESUS, coronam habere debet, quæ radices habeat, ut regnum ejus stabile sit. Si agricola est, corona erit pro sepe, qua cingatur vinea. Si hortulanus est, facit ut de spinis habeamus uvas, & de tribulis ficus. Si victima mundi est, his mundi floribus ante sacrificium coronandus erat. Rosa non est, quam pes Mundi non calcaverit: hinc non nisi spinas in via JESUS invenit, quas transferat in caput.

Sed altiùs tibi penetrandum est, ô anima mea! mysterium hoc: nam nec apex præteribit à Corona & lege Regis Christi. Coronatus itaque spinis est quia ipse voluit Deus mortalis, non clarus imperio, sed ple-

plenus opprobrio: sic & ipse se Regem ostendit, & nobis diadema mercatur, & omni curarum solicitudine immunes reddit; quia ipse coronatus tribulis cùm sit, Rex tribulatorum & esse & haberi voluit. Et ideo montes elegit legibus ferendis. Sic primam tulit in monte Sinai, alteram in Calvariæ, utrobique inter spinas & ignem. Vade, & vide visionem hanc magnam; ut posthac cum Godefridis & Catharinis aurum spinis posthabeas.

Ecce semen (quod est verbum Dei) seminatum à patre agricolâ, cecidit è cælo in spinas, quas maledicta terra germinavit: quantumvis ab agricolæ filio triginta tribus annis in sudore vultûs operosè culta. Hinc rosæ producentur, è quibus pro electis suis coronas paret JESUS; non tamen priùs, quàm hæ spinæ aculeos suos obtuderint in capite ejus. Tum enimvero & ipse quoque aliam ab istâ coronam accipiet, & quia Pontifex est, trinam. Videbunt enim eum filiæ Sion (animæ affectuosæ) in corona misericordiæ, & imitabuntur: Impiæ, in corona justitiæ, & peribunt: sanctæ, in corona gloriæ, & gaudebunt. Quin & Martyres rubeas de rosis, candidas de lilijs, alij de alijs sive coloribus sive floribus contextas, afferent offeréntque. Decent namque hoc sacrum caput diademata multa, si Joanni oculato testi (quia aquilæ) credimus, qui testimonium perhibuit, quíque scit verum esse testimonium suum.

Priusquam exeat in arenam Calvariæ, decretorio & mirando duello conflicturus, ecce de victoria jam non dubitans triumphat coronatus: nec ab antiquis coronis ullam mutuatus est; quamquam meruisset omnes: sed talem elegit, quæ cum victoria Passionem, cum honore contumeliam non respueret: quæ simul aurea & gemmea, nuptialis & regia, Regia & Pontificia, tiara & mitra esset, jungerétque sacerdotium Regno. Hoc fuit, credo, quod devorato à parentibus nostris mundo, remedium positurus Deus tam maturè, támque solicitè providerit de spinis, ut quæ olim futuræ essent sibi in diadema charitatis, & sertum amoris. Ite nunc, & coronate vos rosis, ô delicatuli! Imperium posthac inter flores habebunt spinæ, quia Christo Imperium dederunt: pudeátque esse membrum delicatum sub capite

te ſpinoſo. Nec ſponſa capillorum ſuorum aliud pecten optat, quàm has ſpinas: nec verus miles Chriſti (quem, ut ſuaviter equitet, gratia Dei portat) alia calcaria in votis habet, quàm ex his ſpinis. Si cælum rectà petis, ô viator homo! Via Chriſtus eſt: hanc tene. Néve ad dextram aut ſiniſtram devies, inter ſpinas tenenda tibi ſemita eſt: hàc itur ad aſtra; alia via non ſupereſt: tã enim ſuas quàm tuas vias ſepivit ſpinis; ubi deprehendes lilium inter ſpinas, & rubum amore ardentem & incombuſtum, & roſas, quæ ex his ſpinis crevere. Carpe: licet.

Tene, quod habes, mi JESU! & nemo accipiat coronam tuam, ne ſimul accipiat & ſalutem meam, quæ à corona tua pendet. Nam ſi Pauli tui verbis loquar, nos corona tua ſumus, ſpinea quidem, corona tamen, & capitis tui glorioſa iris, ectypon illius cæli coronæ, quam in fœderis ſignum eſſe voluiſti, quod te inter & mundum mediatore Noëmo pactum erat. Certè ego, quando fœderis arcam & Propitiatorium quæram in remedium peccatorum meorum, ubi ſpineam coronam videro, non ubi auream; inveniſſe me, quod quæſivi, credam.

Depoſito de cruce JESU, nemo auſus deponere coronam eſt, præter Matrem, de qua ſola certum erat præſumi poſſe, eam Filium, quem nunquam offenderat, non velle vulnerare. Neque tamen credo, vel ab ipſa Matre, quantumvis ſolicita, coronam à capite ſacro avulſam, quin vulnera vel nova infligeret, vel jam antè inflicta dilataret. Hoc cogitationum noſtrarum perplexitas fecit. Matris doloroſæ oportebat eſſe manus doctas ad prœlium hoc, & digitos ad bellum. Labor erat, nec ſine ſanguine ſudor. Prô! quàm magno meo bono tunc ſanguis ſanguinem tetigit, & Mariæ Sanguis cum JESU Sanguine mixtus. Sit ſanè laus ſua & veneratio flagellis, quæ corpus ſacrum; funibus, qui lumbos & manus; catenis, quæ collum; cruci, quæ tergum; clavis, quæ manus pedéſque tetigere; & lanceæ, quæ ipſum in cor penetravit: omnibus tamen mihi charior eſt corona, quæ & caput ſacratiſſimum plurium horarum contactu cinxit, & altiùs clamat pro nobis: quia præter ſanguinem JESU etiam tincta eſt ſanguine Mariæ. Utriuſque enim clamor ad Patrem mihi neceſſarius eſt.

III. ARUNDO.

QUid intrâstis in Palatium videre, ô Judæi! arudinem vento agitatam in manu ejus, qui est, qui erit? Ergóne ille sine sapientia, quia arundo vacua est & inanis? ergóne ille inconstans, quia ista levis? ergóne ille vanus, quia ista mobilis? ergóne ille decipit decipitúrque, quia ista fragilis est? non sic, ô filij hominum! verax est JESUS, & viam Dei in veritate docet: nec venit solvere legem, sed adimplere arundinem hanc vacuam. Fragilitátem naturæ nostræ dexterâ suâ firmavit, & contactu sacri capitis etiam consolidabit. Quid miramini in hoc? aut JESUM quid intuemini? ita est, arundinem quassatam non confringet, sed modicum passos ipse perficiet, confirmavit, solidabítque. Calamum quantumvis in capite suo percussionibus quassatum non confringet mitis JESUS. Gaudete & exultate omnes amici JESU, quia nomina vestra hoc calamo scripta sunt in cælis. Delebitur iniquitas terræ, & chirographum, adversùm nos olim scriptum. At verò plangite omnes tribus terræ, quotquot JESUM non amatis: nam arundo hæc calamus est scribæ velociter scribentis Judaici sacrilegij condemnationem, scribítque amaritudines contra impios Deicidas.

Hæc virga directionis est, & decempeda, quâ in domo Patris sui, divinus architectus, & fabri filius, vadens parare nobis locum, metitur mansiones, ut det unicuique locum nominatum. Neque enim alio quàm hoc calamitatum calamo, mensurari Regnum cælorum potest, neque alio penicillo depingi. Hoc tubo optico despicit inimicos suos, futuros scabellum pedum suorum, & alta à longe cognoscit, vim tanti instrumenti ignorantibus Judæis.

Ecce omnia Regna mundi fragilia, JESU meo cum hoc sceptro arundineo in manus data. Ecce tribus digitis mundum cum sceptro ejus sustinet. Dignum sanè his regnis sceptrum arundo. Omnia hæc, inquiebat tentator, tibi dabo, si cadens adoraveris me: sed nec cecidit JESUS, nec adoravit. Quin ipse tentator Princeps Mundi hujus, jam jam ejiciendus foras, misit;

fit; qui procidentes eum adorarent, & omnia Regna Mundi ei traderent in sceptro, eósque præstarent honores, quos hæc regna mundi Regibus suis solent.

Nec, quia de vili materia est sceptrum, despice. Jam olim sceptra lignea, & aurea Mundi Regna dare consueverunt, etiam ramis ornata virentibus, pro regnorum multitudine. Hoc ipsum sceptrum est, quo Princeps hujus Mundi, cùm adhuc in arundineto mundi discurreret, usus est, regnare volens, non valens. Quale quale id est, ei ablatum est, qui aliud non habet. Serpentem se fuisse, fastuosus Spiritus non meminit, arundinem stupidus porrigit, qua sibi caput diffringatur. Quin & arcui, quem jam dudum tetenderat & paraverat JESUS, telo hucusque vacuum, pro sagitta arundinem hanc imponit ignarus, ferro tamen carentem; quâ quasi sagittâ ejiceretur foras dæmon, quemadmodum funiculis, quasi flagello, ejecta foras est avaritia.

Dominatur itaque JESUS, & dominatur in medio inimicorum suorum. Fugite partes adversæ! Christus vincit, Christus imperat, jámque Omnipotens est. Nam cùm venerit in inferiores partes terræ, etiam vectes ferreos, portásque æreas, hac virga Regni sui confringet, & oblatrantes abiget Cerberos, & captivam educet captivitatem. Hæc fient. Nam hodie scietis, quia veniet Dominus, & manè videbitis gloriam ejus. Cùm flammásque fumósque daret Mons Sinai, & Deus legem; cautum populo est, constituítque Moyses terminos per circuitum montis, ne quis fortè tangeret fines ejus, & morte moreretur. Montem, qui Christus est, in finibus membrísque suis, tangere tunc Judæi non ausi sunt; sed cacumen montis, caput Angelorum & hominum percutiunt virga, quam præ Moysis virga osculari deberent: quâ, si vellent, per ignes & aquas per maria & terras, per deserta & montes ducerentur, necquidquam meliores filij parentibus suis. à quâ, velut Ducis scipione, Angelorum exercitus etiam duodecim legionum gubernari non dedignaretur. Scit namque, sceptrum hoc calaminum impleri à JESU sacchāro, quo suos in benedictionibus dulcedinis præveniat, si quando summitatem ejus

porrigit osculandam: quod neque Assuerus potuit. Fulgebunt olim Sancti, & tanquam scintillæ in hoc dulci arundineto discurrent. Hinc est, quòd supplices, non mortis sed vitæ indicium esse credant, si ad sceptri hujus apicem deosculandum procumbant. Unum tamen superest, ô Domine! quod ex te scire velim. Cur, ô Domine JESU! quem tu geris in manu baculum, tuis prohibuisti, cæterà summè necessarium, tam viatoribus mundum lustraturis, quàm pastoribus eundem recturis? Nempe qui tuos tibi inniti vis, non baculis, præsertim arundineis, nec oves tuas baculo, sed voce & exemplo dirigi; quia nec tu, si bene considero, baculum tenes, sed levem cannam, non tyrannidis sed potestatis signum.

IV. PVRPVRA.

QUid vobis videtur de Christo, Spectatores? cujus Filius est? Dei, an hominis? an ideo vestimentum ejus rubrum est, quia manus vestræ sanguine plenæ sunt? sic est. Oculus tuus, ô homo! nequam est, quia ille bonus est; & vestis ejus purpurea, quia manus tuæ cruentæ. Beati oculi, qui vident, quæ vos videtis! dico vobis, multi sunt, qui voluerunt videre, quæ vos videtis, & non viderunt. Vix duos è multis tota produxit antiquitas. Vidit Abraham diem hunc, & gavisus est. Vidit Zacharias JESUM magnum sacerdotem indutum vestibus sordidis, & tristatus est. Regem agnosce in paludamento, & non ampliùs candidatum Regni, ut priùs apud Herodem; sed suo hostiúmque sanguine purpuratum cùm vides, inauguratum crede. Hic amoris color est. Regnum ejus de hoc mundo non est; quod ut sciret Pilatus, ter in una sententia Regem se dixit, aliàs pastoris, vel ut summùm magistri titulo contentus. Hinc Regis hujus ad exemplum aliter orbis ille componitur, quàm iste. Huic servire, regnare est; quia nemo in servum suscipitur, nisi sanguine sit renatus Regio. A Christi & nomine & sanguine deducenda prosapia est, cujus stipes crux. Sanguine non semine propagatur: nam sanguis Martyrum semen est Christianorum. Generosi sint oportet, & qui sanguinem non hor.

horreant. Siquidem Regnum hoc vim patitur, & non nisi violenti rapiunt illud. Ex palliorum congestu suggestum fecere, qui JEHU regem inauguravere duces. Hi, à quibus JESUS rex inauguratur, pallium præbent non nisi unum, & breve, quod vix unum ne dum duos operire possit. Ita homo homini est Deus, Deus homini vix homo.

Strategema hoc Christi pugnantis est. Hosti illusurus, sudoris sanguinei specie purpurat se cocco bis tincto, sanguine scilicet suo hostiúmque: & paludat se ad instantem cum hoste congressum. Vidit hostis, sed serò, nulla eum timere vulnera; nec regna terrena appetere, quæ digna tanto labore non sunt: quando omnia momento temporis & ostendi & amitti queunt.

V. ADORATIO LUDICRA.

IN aulâ es, mi JESU! duplici corde unicóque genu reverentia tibi exhibetur. Sic moris est. Quis te percusserit, nemo nescit: ego quoque ex turba unus sum. Quin ipse te Pater percussit propter peccata non tua, sed populi tui. Generatio Belial, quod principes eorum Sauli à Deo electo ante tot sæcula improperârunt, hoc filij parentibus nequiores Christo obtrudunt. Nunquid salvare nos poterit iste? Sed velo tectus dissimulat, ut ille, se audire.

Flectitur tibi nunc, mi JESU! in hac purpura vero Regi omne genu cælestium & terrestrium, qui tui sunt: eorum, qui tui non sunt, terrestrium & inferorum loco, hi legati officium faciunt, & homagium præstant; licèt nesciant, quid faciant. Olim in vituli & Nabuchodonosoris statua adorabatur aurum, & seriò. Tu, ô JESU! auri Creator, quia tamen aureus non es, à militibus non nisi ludicrè adoraris. Ita aurum pro Deo colitur, non Deus præ auro.

Ridicula adoratio manipulorum famentium, facta manipulo spicarum pingui, quam Josephus vidit, somnium fuit. Fit historia ex somnio, cùm te Frumentum electorum, & spicam Virginis per jocum adorant stipulæ istæ & paleæ, paulò pòst in clibanum mittendæ, & æter-

nùm arsuræ. Quem Reges proni prostratíque adorant, insuper thure myrrha & auro venerantur; ecce mediastini & scurræ isti, quasi unus ex his factus esset, genu non ampliùs uno adorant: purpurâ, coronâ, arundine, alapis, sputis, verberibúsque honorant. Crediderim, feria sexta Parasceves ideo ab Ecclesia omitti illud: Flectamus genua, cum pro perfidis Judæis Ecclesia orat, quòd dignos non judicet, pro quibus flexo genu oretur JESUS, quem flexo genu ad ludibrium adoratione contumeliosa sunt venerati.

STATIO VIII.

ARCUS PILATI.

EST pons sive arcus elevatus supra viam crucis, qui duobus fulcitur muris. Supra arcum est locus velut porticus, (sed nunc sub dio) ubi sunt duo minores arcus, sive unus magnus ferè inferiori arcui sustentanti respondens, parvâ columnâ divisus, quâ velut duæ fenestræ efformantur. Hinc est prospectus ad Orientē & Occidentem urbis, ad domum Pilati & portam judiciariam. Ascenditur ad eum ex domo proximâ Palatio Pilati, & solâ viâ ab illo sejunctâ, arcui proximâ, imò ad eum spectante, distat à Palatio Pilati, quantum jacit arcus. Hæc omnia probabiliter pertinebant ad Palatium Pilati. Lapides dolati quadrati & albi, super quos stetere JESUS & Pilatus, è veteri loco sublati fuêre sumptibus & opera cujusdam R. P. Guardiani S. montis Sion, ne perderentur conculcarentúrque: quod indecens erat; quoniam suprà steterunt pedes Domini: & in altera parte & facie occidentali ejusdem arcus collocati hodie videntur, in quibus illæ solæ litteræ insculptæ videntur: TOL TO. & est communis opinio, Tolle Tolle, fuisse scriptum. Quidam dixit, se ad solis radios sic legisse: TO CX. Sed idem esset: Tolle, crucifige. Columellæ, quæ alicubi monstrantur, non sunt arcûs istius, sed sumptæ sunt ex tribunali Pilati; ubi Pilatus dixit: Ecce Rex vester. Priusquam hinc abeamus,

eum

umMatre dolorosa tria nobis conderanda sunt.

1. Christus.

2. Judæi clamantes.

3. Pilatus lavans manus.

I. CHRISTVS

QUotquot DEI hominis amici estis, risu abstinete. ECCE IOMO. Spectaculum factus JEUS DEO, Angelis, & hominibus: ise, quidquid oculorũ uspiam est, onvertit, diverso intuentium affectu; quem vel in oculis lacrimæ, el in ore risus prodit. Nemini vio bono hac in Re-publica licet esse Jeutrali. Præsidis verbo, quia loco rincipis est, credi debet: sunt namue principis verba obligatoria. ræses duobus verbis affirmat, hoinem esse, quem monstrat: & ne rederetur esse congeries vulneum, cæcis Judæis describit, quod ionstrat; & appellatione hominis rrori oculorum occurrit. Et verò linguis hominum loquar & Anelorum, diversa sentiam dicámue; Angeli Deum esse credent, & pacis Angeli sunt, etiam amarè ebunt; sin minùs, saltem contreaiscent. Homines omne genu, uod humanum est, flectent: Prædíque etiam juranti non credent; uia nescit, quid sit veritas. In foro, inquit videns Jeremias, intuitus sum, & non erat homo. Et licèt hoc ipso in meridie cum laternâ Cynicus quæreret, faciliùs ex silentio DEUM, quàm ex formâ hominem se reperisse agnosceret. Ipsa Mater filium suum esse non scit, sed credit. Pater etiam derelinquit. Tantùm mutatus ab illo est, qui erat speciosus præ filijs hominum.

Ecc Homo! si fidejussor sio punitur, quomodo punietur transgressor? si hæc in ligno fiunt viridi, in arido quid fiet?

Ecce Homo! ô peccator & paralytice, qui septimo jam lustro ad piscinam pœnitentiæ jaces miser, quia hominem non habes. En habes.

Ecce Homo! tibi natus, tibi datus, in tuos usus.

Ecce Homo! ô deformate peccator! qui hominis imaginem perdere voluit in se, ut eam restitueret in te.

Ecce Homo! ô summe DEUS, qui

nùm arsuræ. Quem Reges proni prostratíque adorant, insuper thure myrrha & auro venerantur ; ecce mediastini & scurræ isti, quasi unus ex his factus esset, genu non ampliùs uno adorant : purpurâ, coronâ, arundine, alapis, sputis, verberibúsque honorant. Crediderim, feria sexta Parasceves ideo ab Ecclesia omitti illud : Flectamus genua, cum pro perfidis Judæis Ecclesia orat, quòd dignos non judicet, pro quibus flexo genu oretur JESUS, quem flexo genu ad ludibrium adoratione contumeliosa sunt venerati.

STATIO VIII.

ARCUS PILATI.

EST pons sive arcus elevatus supra viam crucis, qui duobus fulcitur muris. Supra arcum est locus velut porticus, (sed nunc sub dio) ubi sunt duo minores arcus, sive unus magnus ferè inferiori arcui sustentanti respondens, parvâ columnâ divisus, quâ velut duæ fenestræ efformantur. Hinc est prospectus ad Orientē & Occidentem urbis, ad domum Pilati & portam judiciariam. Ascenditur ad eum ex domo proximâ Palatio Pilati, & solâ viâ ab illo sejunctâ, arcui proximâ, imò ad eum spectante, distat à Palatio Pilati, quantum jacit arcus. Hæc omnia probabiliter pertinebant ad Palatium Pilati. Lapides dolati quadrati & albi, super quos stetere JESUS & Pilatus, è veteri loco sublati fuêre sumptibus & opera cujusdam R. P. Guardiani S. montis Sion, ne perderentur conculcarentúrque : quod indecens erat ; quoniam suprà steterunt pedes Domini : & in altera parte & facie occidentali ejusdem arcus collocati hodie videntur, in quibus illæ solæ litteræ insculptæ videntur : TOL TO. & est communis opinio, Tolle Tolle, fuisse scriptum. Quidam dixit, se ad solis radios sic legisse : TO CX. Sed idem esset : Tolle, crucifige. Columellæ, quæ alicubi monstrantur, non sunt arcûs istius, sed sumptæ sunt ex tribunali Pilati ; ubi Pilatus dixit : Ecce Rex vester. Priusquam hinc abeamus, eum

cum Matre dolorosa tria nobis considerandа sunt.

1. Christus.

2. Judæi clamantes.

3. Pilatus lavans manus.

I. CHRISTUS

QUotquot DEI hominis amici estis, risu abstinete. ECCE HOMO. Spectaculum factus JESUS DEO, Angelis, & hominibus: in se, quidquid oculorũ uspiam est, convertit, diverso intuentium affectu; quem vel in oculis lacrimæ, vel in ore risus prodit. Nemini viro bono hac in Re-publica licet esse Neutrali. Præsidis verbo, quia loco principis est, credi debet: sunt namque principis verba obligatoria. Præses duobus verbis affirmat, hominem esse, quem monstrat: & ne crederetur esse congeries vulnerum, cæcis Judæis describit, quod monstrat; & appellatione hominis errori oculorum occurrit. Et verò si linguis hominum loquar & Angelorum, diversa sentiam dicámque; Angeli Deum esse credent, & si pacis Angeli sunt, etiam amarè flebunt; sin minùs, saltem contremiscent. Homines omne genu, quod humanum est, flectent: Præsidíque etiam juranti non credent; quia nescit, quid sit veritas. In foro, inquit videns Jeremias, intuitus sum, & non erat homo. Et licèt hoc ipso in meridie cum laternâ Cynicus quæreret, faciliùs ex silentio DEUM, quàm ex formâ hominem se reperisse agnosceret. Ipsa Mater filium suum esse non scit, sed credit. Pater etiam derelinquit. Tantùm mutatus ab illo est, qui erat speciosus præ filijs hominum.

Ecce Homo! si fidejussor sic punitur, quomodo punietur transgressor? si hæc in ligno fiunt viridi, in arido quid fiet?

Ecce Homo! ô peccator & paralytice, qui septimo jam lustro ad piscinam pœnitentiæ jaces miser, quia hominem non habes. En habes.

Ecce Homo! tibi natus, tibi datus, in tuos usus.

Ecce Homo! ô deformate peccator! qui hominis imaginem perdere voluit in se, ut eam restitueret in te.

Ecce Homo! ô summe DEUS, qui

qui justitiæ tuæ, quantumvis rigidæ, abundanter pro peccatis meis satisfaciat.

Ecce Homo, qui jam jam exibit ad opus suũ, quod patraturus est in in cruce. Obstupescite cæli, & auribus percipe terra!

Ecce Homo! qui cuncta, quæ habet, dabit pro animabus nostris.

Ecce Homo! sub potestate constitutus, per quem Reges regnant, & Principes justa decernunt.

Ecce Homo! natus ad laborem, in quo licet à planta pedis usque ad verticem capitis non sit sanitas, & repleatur multis miserijs; torcular tamen calcavit solus.

Ecce Homo! simplex & rectus, homo non audiens, & non habens in ore suo redargutiones, homo pacis, homo unanimis.

Ecce Homo! Sacerdos de semine Aaron, homo cùm in honore esset, non rapinam arbitratus est, esse se æqualem Deo.

Ecce Homo! quem dicunt homines esse Filium hominis; quia habitu inventus est ut homo, indigens misericordiâ.

II. IVDÆI CLAMANTES.

COnjuratio! Cōjuratio! quia facta est Hierosolyma labij unius & sermonum eorundem. Audio dæmonia clamantia & dicentia: Crucifige, crucifige! quem ante quinque dies ut benedictum à Domino excipiebant. Hæc mundi constantia est, hæc sphœræ humanæ revolutio. Ita rumores excitat otium plebis, quæ semper aut humiliter servit, aut superbè dominatur. Sæpe Pharisæi & Scribæ timuerunt turbas; nunc turbæ timent Pharisæos, & vel invitæ, licèt invitatæ, clamant: Crucifige. Nempe ut quisque audit, movetur. Jam Hierosolyma intereat oportet, quando boni nequeunt ampliùs discerni à malis. Hactenus enim tam homines quàm æra sonis dignoscebantur: Omnes declinaverunt, non est, qui faciat bonum, non est usque ad unum; quia major pars populi quod facit, omnes facere dicuntur: & refertur ad universos, quod publicè fit per majorem partem. Sed ne quisque sibi blandiatur, nulla est peccati excusatio, si amici causâ peccâsti: quia criminibus alterius nemo se defendere debet; occidit nam-

namque & faciens & consentiens. Incrassatum est cor populi hujus, nec sine ratione clamant. necesse enim est contentiosè loquatur, quod probare non potest populus ad contentionem natus & rebellis à die, qua nosci cœpit. Sed etsi nulla turba habet prudentiam singulorum; carpit enim, quod non capit; non ideo tamen signum est innocentiæ, à paucis accusari; sicut nec signum rei est, accusari à multis. Ebrij ut fortè non sint, certè tamen voluntariè insani sunt, laborántque præcipuo animi morbo, dementiâ. Quando itaque culpa esse non credebatur, quod major pars populi faciebat, & clamor iste cœpit esse licitus, quia publicus; credere Pilatus Romanæ Urbis memor poterat, se tot Jani templa videre, quot videret ora clamantium Judæorum: quæ quoties aperiuntur, bellum portendunt; nunquam nisi clausa, pacem. Et ex abundantia cordis loquuntur: ecce enim exeunt ex ore eorum cogitationes malæ, blasphemiæ, homicidia, falsa testimonia, Deicidia, quæ coinquinant homines istos; qui tamen superstitiosè soliciti, ne fortè inquinentur, Prætorio abstinent; quasi causam sanguinis non tractaret, qui Deum occidit. Hoc nempe est, excolare culicem, & deglutire Camelum. Implent mensuram patrum suorum, imò etiam augent.

Misereor Pilati. Exiguntur ab eo jam non judicis sed carnificis partes; ad quem reus adducitur non judicandus, sed crucifigendus. Videt jam & experitur Gentilis homo non sine scandalo, populum istum quantumvis fidelem, duræ cervicis esse, & induràsse cervicem suam juxta cervicem Patrum suorum. Sed cui æstimabo similem generationem istam? Dico vobis: Tyro & Sidoni, quin & terræ Sodomorum remissius erit in die Judicij, quàm civitati isti. Olim Judæi commisti sunt inter Gentes, & didicerunt opera eorum, & servierunt sculptilibus eorum, & factum est illis in scandalum. Hodie Gentes coactæ miscentur Judæis, ut Deum eorum occidant, & effundant sanguinem innocentem: & factũ est hoc Gentilibus in scandalum. Non itaque mirum, quòd tradiderit illos Dominus in manibus Gentium, & dominentur eis nationes, quæ oderunt eos usque in hodiernam diem. Quanquam quid solos hac in re accuso,

cuso Judæos; quando, nemo in cælo est nec in terra bonus, qui non clamaverit: Crucifige? debent enim omnes approbare, quod omnes tangit. Ipsa Mater audijt loquentem Caipham: expedit, ut unus moriatur pro populo: audijt clamantes in platea Judæos: Crucifige: atque ob divinos fines conservabat, & conferebat omnia verba hæc in corde suo.

O Judæi! verè nunc Adversarius vester Diabolus, cum Pharisæis & Principibus Sacerdotum inter vos circuit, quærens quem devoret; qui vos jam olim ipse docuerat devorare domos viduarum. Scriptum est: Non sequeris turbam ad faciendum malum. In qua non rarus est, qui labatur linguâ: licèt enim clament ægri pro medico, pauperes pro patrono, discipuli pro magistro; verba tamen iniquorum prævaluerunt: ut vel hinc tribunalis reverentiam discas, in quo reus tacere vult, & Judex tacere cogitur; cùm vel maximè loquendum esset. Hic genius hydræ popularis est: quanquam non tam populi quàm cleri vitio peccatum est, quidquid hîc peccatum est.

¡O iniqua Susannæ tempora! imò æqua & tolerabilia, in quibus erat sicut populus, sic & Sacerdos. Sed prô dolor! nunc iniquitatem addiderunt super iniquitatem: est enim nunc sicut Sacerdos, sic & Populus, qui non nisi instigante ad id Sacerdote in scelus Deicidij prolaberetur. Hæc abyssus malorum est, in quâ vel ipsa malitia jubet quiescere; & vel ipse dæmon fatetur leonino rugitu, se confundi; qui tamen præ multitudine clamantium audiri nequit. Ita nonnunquam superat malitiâ ipsum Diabolum peccator, Patrem filius. Hæc omnia, mi JESU! prædixisti, sed surdis. Quid enim aliud clamant Judæi, quàm: Hic est heres: venite, occidamus eum? doctiores vinitoribus illis, quia breviùs dixere sententiam suam: Crucifige.

III. PILATUS LAVANS MANUS.

Quare discipuli JESU manus non lavant, quando panem manducant? superstitiosorum quæstio est. Bonam mentem, viri! interrogabo vos & ego unum; & si responderitis mihi, dicam & ego vobis. Dicite mihi, cur Pilatus lavet manus, cùm JESUM permittit potestati

testati vestræ? acceptores personarum, excolantes culicem, & camelum glutientes.

O Pilate! ne te justifices ante Deum, quoniam agnitor cordis est. Si te laveris nitro, & multiplicaveris herbam Borith; maculatus es in iniquitate tua, coram DEO: imò contractam hanc labem nec æternus quidem ignis purgabit. Quantumvis non posses facere, ut hi caneri reverterentur à pertinacia sua, tamen non coactus, peccâsti. Nec objicere necessitatem potes pro lege; quia ipse affirmâsti, habere te potestatem dimittendi JESUM. Aliam fuisse oportet causam, cur Pilatus manus laverit. Voluit fortassis JESUS, ut quantùm possibile esset, Titulus suus mundis scriberetur manibus.

STATIO IX.

LOCUS SECUNDÆ FLAGELLATIONIS.

Retrocedendo decem gressus à Palatio Pilati, & non procedendo ad montem Calvariæ, in læva parte viæ, est locus ille, in quo flagellatus est Christus. Fideles pulchram sed parvam ibi Ecclesiam ædificârunt. Hanc in stabulum equorum commutavit filius Sangiaci Anno 1618. Cubiculum tamen superædificatum 14. Januarij festo nominis JESU corruit, & equi omnes mortui sunt. Monitus à Christianis de sanctitate loci, destitit. Hodie extrà formam templi non habet. Priusquam hinc abeamus, cum Matre dolorosa tria nobis consideranda sunt. 1. Verba B.V. 2. Columna. 3. Flagellatio.

I. VERBA B. V.

S. Brig. l. 1. c. 11.

Deinde ductus ad columnam, personaliter se vestibus exuit, personaliter ad columnam manus applicuit, quas inimici sine misericordia ligaverunt. Alligatus autem nihil omnino operimenti habebat; sed sicut natus est, sic stabat, & patiebatur erubescentiam nuditati.

tatis suæ. Consurrexerunt autem inimici ejus, qui fugientibus amicis, undique astabant, & flagellabant corpus ejus, ab omni macula & peccato mundum. Ad primum igitur ictum ego, quæ astabam propinquiùs, cecidi quasi mortua, & resumpto spiritu, vidi corpus ejus verberatum & flagellatum usque ad costas, ita ut costæ ejus viderentur. Et quod amarius erat, cùm in retraherentur flagella, carnes ipsis flagellis sulcabantur. Cùmque Filius meus totus sanguinolentus, totus sic laceratus stabat, ut in eo non reperiretur sanitas, nec quid flagellaretur; tunc unus concitato in se spiritu quæsivit: nunquid interficietis eum, sic injudicatum? & statim secuit vincula ejus. Inde filius meus induit se vestibus suis: tunc locum, ubi stabant pedes filij mei, totum repletum vidi sanguine, & ex vestigijs filj mei cognoscebam incessum ejus. Quò enim procedebat, apparebat terra infusa sanguine: nec ipsi patiebantur, ut se indueret; sed compulerunt & traxerunt eum, ut accelerarct. Cùm autem duceretur quasi latro, ipse filius meus abstersit sanguinem ab oculis suis.

II. COLVMNA.

QUid, ô anima mea! Deo est cũ columnis? Apparuit olim in columna ignis, deinde & nubis: jam ad columnam marmoris, & quidem sine tegumento aut nubis aut ignis, apparet. Pater erat, qui in columna nubis apparuit; Spiritus sanctus, qui in columna ignis: hodie Filius ad columnam marmoris, quia duas hábet naturas, etiam bis apparet. Nempe lex Moysis, ut flamma, ut nubes perire debebat; lex Christi Evangelica durare debet, ut marmor, marmoreis pedibus (quod Angelus Joanni significabat) mare & aridam pari passu perambulatura. Gloriæ tuæ regia struitur, mi JESU! jam scalpri salubris ictibus, & tunsione plurima, fabri polita malleo, hanc saxa molem construunt, aptisque juncta nexibus locantur in fastigio. Columna, ad quam stas, gloriæ tuæ basis est, & regiæ hujus fundamentum. Ad hanc stabunt, qui tuo exemplo pro te furias atque minas truces calcabunt, hominum sævåq; verbera. Stabunt ad hanc columnam,

mnam, queis cedet lacerans fortiter ungula, nec carpet penetralia. Stabunt ad hanc, qui cædentur gladijs more bidentium. Stabunt, sicque tacebunt, ut nec murmur resonet nec querimonia; sed corde impavido mens bene conscia conservet patientiam.

III. FLAGELLATIO.

EUge anime! confortare & esto robustus: spectaculo adsis, ubi pro Amphitheatro platea, pro populo cohors, pro Imperatore prætor, pro histrione Deus. Comicotragœdia agitur, quæ à contumelia & risu publico prologum habet: & in extremam sævitiem desinit in epilogo. Quòd si tu, anima mea! adstas sicca; aut me non animas, aut JESUM meum non amas.

O mi JESU! cur non permittas te tangi à centurione, & comprimi à cohorte, qui permisisti te tangi ab Hæmorrhoissa, & comprimi nō renuisti à turbis? nam virtus unà cum sanguine tuo sacratissimo exisse sentietur: non tamen sentient, qui ad te accedent tangéntq;, eò quòd illis fides desit, licèt non desis. Oportet namque accedentes ad JESUM credere, si salvi esse velint. Sed quæ, obsecro, hujus carnificinæ causa? Scio, quòd virga & correptio tribuat sapientiam, sed in dorso imprudentium. Et tu, mi JESU! quomodo à nostra correptione, sapientiæ tuæ, quæ infinita est, augmentum expectare potes? neque enim sapientiam ab hominibus accipis: sed neque unquam auditum de te est, quòd unquam flagella merueris; licèt jam dudum sciverimus, te in flagella paratum esse. Sed & hominem Romanum, ut audio, non licet indemnatum flagellare, minùs hominem Deum. O Pilate! sive ut meliùs dicam, Mome! quid in Deo emendaturus es? emendatum, inquis, dimittam: eum nempe, sine quo nec mundus universus emendare se potest. Ille emendatione tua non indiget, sed tu illius. Novæ crudelitatis novum inventum est, crudelem esse, ut mitis habearis; interficere reum, ne occidatur. Nam quid hæc flagellatio & coronatio aliud sunt? Chirurgis permissum est non judicibus, vulnus infligere, quo aliud vulnus curetur. Atque ut quandoque malum minus permitti possit, ut majus

malum evitetur; ex te quæro, Pilate, num ipsa morte malum minus fuerit sic corripere, ut ipse reus mortem habeat in optatis? de intentione bona, quam nobis obtrudis, non est quod superbias: nihil enim interest, quo animo facias, si fecisse vitiosum est: nec sunt omnia bona, quæ bona intentione fiunt.

Sed quantum video, ab his maximè suasa & persuasa est hæc flagellorum carnificina, qui ante quinque dies à JESU in templo flagellati, vibices in hanc usque diem sentiunt, nondum obductâ cicatrice, doléntque. Hi faciunt, ut nunc sis sub lictorum flagellis, qui antè pro potestate alios flagellabas. Sed quæ disparitas, ô JESU! nam quibus tu flagellaris, vera flagella sunt: illud verò, quo tu correxisti impios, non flagellum, sed quasi flagellum, & quidem non de funibus, sed tantùm funiculis fuit. Hinc acriùs eos sua flagellavit conscientia, quàm tu. Sed non ignoro, mi JESU! totum hoc negotium Patris tui esse, qui ut me servum redimeret, te in flagella tradidit. Mihi servo debebantur, quotquot in te incubuerunt ictus. Agnosco. Gratias ago.

Quòd si, O Judæi! destinâstis flagellare Deum; videte, ne modum excedat flagellatio. Prælusit vobis in exemplo Deus, nec erubuerunt lictoris officium Angeli. Qui templum spoliare venerat Heliodorus, flagellatus est ab Angelis, sed sine vulnere. Qui verò templum destructum spopondit se triduo reædificaturum, flagellatur ad vulnera, ad mortem. Ita differunt judicia Dei à judicijs hominum!

Verè hoc est granum frumenti è cælo in terram cadens. Ecce flagellatur nunc, ut inde panis fiat hominum, unde manducet pauper & humilis. Verè, mi JESU! ut video, de te locutus es, cùm de viatore Hierichuntino, de latronibus, de sacerdote, levita, Samaritano loquebaris. Incidit enim, ô anima mea! nunc in latrones Viator Deus, ad ipsam Prætoris domum: spoliatur vestibus, qui lilia agri vestit, & plagis impositis relinquitur semivivus.

Iterum consequentem se petram (petra autem erat Christus) solicitat populus virgis, non aquam sed sanguinem sitiens. Iterum librum suum (unius verbi) intus & foris scriptum exponit Deus censuræ hominum

minum ad columnam, quem priùs homines vendiderunt sub hastâ. O utinam, mi JESU! columna hæc esset meta laborum tuorum! sufficeret nobis: sed non tibi & amori tuo sufficit.

Tendit JESUS plùs ultra etiam Herculeas columnas, etiam ultra omnem humanam cogitationem. Nam & Judæi dicunt, Romano modo flagellandum, Romani Judæo. Quia verò ultra quadraginta ictus accepit, & indemnatus flagellis est cæsus, ideo nec Judæo nec Romano modo flagellatus dici potest. Hinc & Judæi suo sensu à scelere immunes sunt, quibus non licet occidere quenquam; & Romani, qui flagellârunt eum, ut servarent.

Interea inter Judæos Romanósque litigantes jacet in sanguine suo Jesus, & à planta pedis usque ad verticem capitis non est in eo sanitas. Sanguine undat locus, ut ex platea credi possit factum esse mare æneum templi, in quo lavetur hoc sacrificium.

Flagellaris, optime JESU! ut servus, licèt scias & facias voluntatem Patris & Domini tui semper: vapulásque multis virgis, funibus, & catenis; atque ut ipsi flagellatores non lassentur nimis, subit alter & alter & alter: & tu tamen, mi JESU! quæ Domino nostro & Patri tuo placita sunt, fecisti semper: imò cibus tuus fuit, facere voluntatem ejus. Verè circumdederunt te canes multi, qui carnem tuam sacratissimam non tam morderent, quàm lacerarent. Et modò carnibus contenti essent; (horreo dicere) dulcissimo, ut video, sanguine tuo gustato, hi canes in rabiem acti sunt, ita ut non jam carnes, sed & ipsa ossa catenis & scorpionibus rodant. Verè pessima plaga tua est, mi JESU: sed fortè tuâ culpâ? nam si vel semel suspirâsses, vel unico eos intuitu dignatus esses, flagella illis decidissent è manibus, lacrimæ ex oculis. Sed quia pro mensura delictorum meorum debebat esse plagarum tuarum modus, abstinuisti.

Moyses post contemplationem rubi ardentis factus est fortior & animosior: & nos ex consideratione Rubi, juncíque marini, unde virgæ istæ sunt acceptæ, nec fortiores, nec animosiores ad patiendum evadimus, sed bene ad saltandum & tripudiandum: quasi verò mundi tripudium ritè peragi non possit, nisi

nisi ad tactum & mensuram, quam hi symphonasci super hoc sacratissimo dorso tuo distinguunt.

Finitâ hac carnificinâ vulnera meo JESU inflicta curiosè contemplantur egregij lanistæ, & quis fortiùs percusserit, scrupulosè examinant. Hinc ad lites & jurgia deveniunt. Dedecori ducitur, si quis minùs fortis fuisset in hac palæstra, pudétque non fuisse impudentem.

O anima mea? tu si velis, inter hos jurgatores pacem conciliabis, si tibi soli victoriam arroges, & liberè, palámque fatearis, te, non illos hæc sulcâsse vulnera: totum, quo flavet, livorem duxisse de tuo bonum JESUM; sicut uva tactâ livorem ducit ab uvâ; & livore hoc flagellorum te, multósque alios sanatos esse. Confundunt hæc teneritudinem nostram, si considerentur; qui delicatè vestimur, dum JESUS excoriatur. Flagella, si potes, carnificibus extorque, ac pro te serva: erunt enim usui in via ad cælũ. Hæc sola desidiam nostram excitant, urgéntque pigritiam, & promovent tarditatem. Atque in hæc flagella nisi parata sis, ô anima mea! alia tibi supervenient, & multa flagella peccatoris. Dura non ampliùs sunt flagella JESU; vires suas & duritiem perdidere in dorso ejus: fila sunt non funes, jámque occulto pietatis sensu rupta.

Sed hæc sive flagellatio sive carnificina, Judæorum corda non lenivit, animos non satiavit. Quid mirum? quando nec Patri æterno suffecit: non minùs enim iste, quàm illi properant ad crucem cum JESU, qui alium in finem non solvitur à columna, quàm ut ligetur ad crucem, non jam funibus, sed clavis; non cannabe, sed ferro.

Prostratus itaque post flagellationem jacet, funditúrque de novo sanguis. Illi interea semivivo relicto abeunt: at verò ut JESU meo vires rediere, accepturus vestimenta sua ascendit de sanguine suo, in quo demersus jacuerat mundus, eum, ut olim è Jordane, extracturus; & verba, quæ tunc Pater dixit, dicit nunc Mater, non sine dolorosâ admiratione: Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui: hunc audite, ô peccatores! vobis vobis servis nequam & ad laborem natis hæc flagella debebantur. Qui se excipit à passione flagellorum, excipit se à numero Filiorum.

VIA VI.

VIA VI.

MATRIS DOLOROSÆ AD VIAM CRUCIS.

TOtum ſpatium, quod eſt à Portâ Palatij Pilati uſque ad locum fixæ crucis in monte Calvariæ, primi Chriſtiani appellârunt viam crucis: tum quia JESUS, paucis paſſibus exceptis, crucem per hanc viã portavit; tum quia poſt latam, licèt nondum promulgatã ſententiam, crucifigendus, hanc viam fecit. In ſumma ſemper æſtimatione & honore hæc via apud Chriſtianos fuit, éſtque in hodiernum diem. Vt ordine progrediamur in hac via Mariana, eam diſtinguam in octo ſtationes.

1. In Porta Palatij.
2. In loco impoſitæ crucis.
3. In loco casûs primi.
4. In loco, ubi ſtetit B. V.
5. In loco angariati Simonis.
6. Ad domum Veronicæ.
7. In loco lectæ ſententiæ.
8. In Porta Vrbis.

STATIO I.

PORTA PALATII.

AD hanc olim viginti octo gradibus marmoreis aſcendebatur, qui hodie Romæ ſunt. Hodie aſcenditur in plano ſpatio, in quo ſteterunt gradus illi, nec alij repoſiti ſunt. Priuſquam hinc abeamus, cum Matre doloroſa duo nobis conſideranda ſunt. 1. verba B. V. 2. Eductio.

I. VERBA B. V.

S. Brig. l. 4. c. 70.

JAm ſolutus Filius meus à columna, primùm ad veſtimenta ſua ſe convertit; nec tamen ſpatium induendi ſe, ei conceditur, ſed adhuc dum

dum traheretur, brachia sua manicis inseruit. Vestigiáque ejus, in quibus ad columnam stetit, plena erant saguine, taliter, quòd ego bene poterã omnia vestigia ejus, quæ ivit, signo sanguinis agnoscere; qui tunc vultum suum manantem sanguine tunicâ detersit. Et l. 1. c. 10. Interim eunte filio meo ad locum passionis, alij percusserunt eum in collo, alij in faciem eum ceciderunt: & tam fortiter & valenter percussus est, ut licèt ego non viderem percutientem, audirem tamen clarè sonitum percussionis.

II. EDVCTIO.

ÆQuitas non potuit ingredi, quia viæ Sion lugent. Parate itaque viam domini, & rectas facite semitas ejus. Ecce exit, qui seminat seminare semen suum, contemptu & amaritudine plenum sinapis granum; ut arbor fiat, crux fidelis inter omnes arbor una nobilis; silva qualem nulla profert fronde, flore, germine. Sit licèt crux Judæis scandalum, Gentibus stultitia; plantata tamen in Calvariæ horto restaurat, quæ arbor scientiæ in paradiso destruxit, & fit credentibus salus. Tantum distant viæ Dei à vijs hominum.

Exeamus in agrum, ô JESU! Jubet hoc Abeli Cainus, tibi Judæus, utrobique frater fratri, lupus agno, ut per lignum interficiatur. Ecce miseras paulò antè Apostolos tuos sicut oves inter lupos; ipse nunc inter lupos deprehensus, times eos, quos non ita pridem timeri vetueras, ut qui corpus tantùm non animam occidere possunt.

Ecce anima mea! quem Pater sacrificare vult alterum Isaacum. utrique ligna à patre imposita: huic præter ligna etiã iniquitates omnium nostrûm. Hinc gemit sub onere. Uterque ignem habet; sed JESUS in corde, ne extinguatur. Utrique inter spinas & vepres victima hæret. Sed vias tuas, ô Domine! demonstra mihi, cur tanto tuo incommodo viam vallis Josaphat metiris, & remetiris? non jam stadia sed passus, gressus, & ipsos pedes, & & palmos numeras? Quid est, quòd hoc ipsum per omnes penè Hierosolymæ plateas, & quidem diù noctúque præstas. Si non fallor, scrutaris Hierusalem in lucernis, & popu-

populum, qui non credit (adeóque jam judicatus eſt) & regionem jam olim in funiculo diſtributionis dimenſam, cæleſtis Geometra, non eadem, ſed melioris menſurâ, cruce tanquam virgâ directionis remetiris.

Verè verè eſt via, quæ videtur homini juſta; noviſſima autem ejus deducunt ad mortem. Lata porta & ſpacioſa via eſt, quæ ducit ad perditionem, & multi ſunt, qui intrant per eam. Reſpicit enim Dominus viam hominis, & omnes greſſus ejus conſiderat. Novit vias juſtorum, & ſcit, quia juſti ſemita recta eſt; & denique ſecundùm vias eorum faciet eis. Itaque ſcrutemur vias noſtras, & ſi fortè aberraverimus à via veritatis, quia lux intelligentiæ non luxit nobis, revertamur ad Dominum: hæc enim crucis via una via eſt. Ambulemus in ea, & non declinemus neque ad dextram neque ad ſiniſtram. Optime JESU! quid aliud deſidero, quàm ut deducas me in ſemitam mandatorum tuorum, atque ut dirigantur omnes viæ meæ ad cuſtodiendas Juſtificationes tuas; Fac ut in præceptis tuis ambulem, & trahe me poſt te, ſic ut quocunque perrexeris, pergam; & quocunque iveris, ſequar; & poſt te ingredi non ceſſem, adeóque non errem, quia omnes viæ tuæ veritas.

Exivit JESUS à Patre, & venit in mundum. Ecce nunc iterum relinquit mundum, & vadit ad Patrem. Vadit ad eum, qui miſit eum: vadit parare ſuis locum; & ideo expedit, ut ille vadat; nec eſt alia via, quàm hæc via crucis: oportet enim eum pati, & ſic intrare in gloriam ſuam. Et quidem, ut video, filius hominis, ſecundùm quod definitum & ſcriptum eſt, vadit: ſed væ homini illi!

Vos, ô Judæi! quò ille vadit, non poteſtis venire: nam in peccato hoc veſtro moriemini, & chaos magnum inter eum & vos firmabitur.

Ecce exit, qui ſeminat ſeminare ſemen ſuum (& ſemen eſt verbum Dei) & ecce cecidit inter ſpinas, & coronatus eſt: & cecidit in via, & conculcatus eſt: & cecidit ſupra petram Calvariæ, & aruit mortuúſque eſt; & cecidit in terram bonam, & ſepultus eſt. Tranſeamus cum JESU uſque in montem Calvariæ, & videamus hoc verbum. Si veniamus feſtinantes, invenie-

mus Mariam & alterum Joseph & JESUM in Cruce, æquè infantem, quia ad opprobria tacentem.

Iterum abit JESUS in Montem orare, sed non ut solebat, solus dimissis turbis: turbæ enim adeò jam confertæ sunt, ut cum etiam comprimant, etiam conculcent. Tota commoveatur civitas oportet, quando JESUS urbem cum ramis palmarum ingreditur, vel cum ramis crucis egreditur. Tumultum hunc faciunt Hierosolymitani non minùs inepti cives, quàm imperiti coloni. Hic est, inquiunt, heres, venite occidamus eum, & habebimus hereditatem ejus. Ita à Pilato apprehensum ejiciunt extra urbem, ut occidant. Nesciunt imperiti, heredem esse Dei eum non posse, qui Christum coheredem habere recusat.

Sed quid ageres, ô JESU in urbe! quando in Palatijs Sacerdotum, præsidum & regum, sacris & profanis nemo est, qui aptus sit Regno Dei; qui velit etiam invitatus venire ad nuptias cælestes, quas tibi Pater instruit? exi itaque citò in plateas & vicos civitatis, & pauperes & debiles & cæcos & claudos introduc: imò exi, exi, in vias & sepes extra urbem, & compelle intrare, quos invenies aptos, ut impleatur domus Patris tui, in quo tot tantæque mansiones sunt: nemo enim virorum illorum dignus est, ut gustet cœnam tuam, tibi tuísque præparatam, quam nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit.

Sed ubi Angelus est, quem mittat Pater ante faciem tuam, qui præparet viam tuam ante te, ne fortè offendas ad lapidem pedem tuum? non apparet vel unus. Ultimus ergò labor cùm sit, adeóque præ alijs durus; patere, ut ego viator sistam gradum, & tibi, ô Deus! qui pro me viator factus es, parem viam, & semitas faciam rectas. Sed quantùm video, plus desidero, quàm possum; nec respondet voto facultas: nam quis tam properè omnes montes & colles humiliet! omnia prava in directa, & omnia aspera reducat in vias planas? verè qui duces tui hac in via sunt, non cognoscunt vias tuas: quas utinam doceas me, qui omnes vias meas prævidisti! Scio, scio, extra angustam viam tuam lubricum esse. Itaque semitas tuas, quas sequar, edoce me; ut eam, non quà itur, sed quà

quà eundum eſt. Prô! quàm multis nota eſt via illa, quæ videtur homini juſta, & noviſſima ejus ducunt ad mortem, & multi intrant per eam, quia lata & ſpacioſa eſt! Erravi, ô JESU! ſicut ovis, quæ perijt. Quære, paſtor optime, ovem tuam per montes & valles, & vide, ſi via iniquitatis in me eſt: hanc amove à me, quia viam veritatis elegi. Utinam dirigantur viæ meæ ad cuſtodiendas juſtificationes tuas!

STATIO II.

LOCVS IMPOSITÆ CRVCIS.

HUcusque ivit JESUS liber à cruce, ligatus tamen duobus funibus ad lumbos & manus, & catenâ unâ ferreâ ad collum. Diſtat hic locus, ubi ei impoſita crux eſt, à Porta Palatij greſſibus omnino ſexaginta quinque. Priuſquam hinc abeamus, cum Matre doloroſa nobis duo conſideranda ſunt. 1. Crux. 2. Bajulatio.

I. CRVX.

FAbri Filius fabrilem artem jam trigeſimum & ampliùs annum verſans, patriſſat: nam quia Pater ejus, qui fabricatus eſt auroram & ſolem, cælum & terram, operatur uſque modo, nec ipſe otiari vult Filius; ſed lucro intentus damna ligni ut ſolveret, opus ſive ex olea (quia aram miſericordiæ) ſive ex palmâ (quia trophæum) orditur grande. Mens eſt, non jam pauca paria animalium, ſed myriades, & periclitantem mundum totum trabe non ampliùs una ſervare. Ita contemptibilia eligit DEUS, & lignum humile exaltat.

Opus ſeria cogitatione triginta quatuor propè añis penſatum. Cõtinuus crucis conceptus, trabes, aſſeres, malleos, clavos, terebras tractans: nunquam non crux, ſupremum magiſtri opus in mente fuit, ad quod omnia ordinavit. Ad perpendiculum crucis Eccleſiam ſuam fundat, ſuper fundamentum Apoſtolorum & Prophetarum ipſo ſummo

mo angulari lapide Christo JESU. Ligno obliquitatis antiquo & malo mundus olim depravatus, hac virga directionis corrigi & erigi debebat. Hac decempedâ Cælũ & terram, & quæ sub cælo & terra sunt, mensurat. Ne ruat in homines cælum, hoc fulcro indiget. Verè arbor una nobilis, columna, obeliscus, meta & quidem sudans.

Hâc staterâ utrumque Testamentum libravit, & grave legis onus temperavit Evangelio. In hac statera seu ligno, per quod fit justitia, mundus apppensus, inventus est minus habens; & tanquam minus habens, partem habuisset cum hypocritis & latronibus, nisi JESUS capite inclinato ad dextram, ubi ille sessurus erat, felici libramento jam fluctuantem firmâsset.

Utinam, ô JESU! appenderentur peccata mea in statera hâc crucis! sed in aliam quoque machinam crux serviet: nam exaltatus JESUS à terra, promissorum memor, hâc crucis machinâ omnia in funiculis Adam & charitatis ad seipsum trahet, & funiculo triplici, corpore, anima, Divinitate, qui difficilè rumpitur. rumpetur quidem molis magnitudine, quæ corpus animámque ligat unio; manebit tamen integra Divinitas, quæ conjuncta animæ, extrahet Patres è limbo: conjuncta corpori in cruce, peccatorum attrahet manus ad pectora, faciétque ut revertantur cum Sunamitide.

II. BAIVLATIO.

TOlle grabatum tuum & ambula, mi JESU! grandis adhuc tibi restat via, in cujus fine super grabato tuo positus quiesces. Sed gusta priùs pusillum panis, & conforta stomachum, & sic proficisceris. At non de pane, sed de aceto & felle nunc cogitandum est. Quòd tuas iterum vestes indueris, Mariæ labori venerationem hanc debebas; ut quamdiu non elegeris nudus incedere, in die præsertim desponsationis tuæ, alia tegumenta non quæras.

Factus itaque JESUS Viator vobis, ô Apostoli! dicit (& quod vobis dicit, omnibus dicit) venite post me: &, Si quis vult venire post me, abneget semetipsum, & tollat crucem suam & sequatur me. Qui non accipit crucem suam, & venit post me, non potest meus esse discipulus.

lus. Quod me videtis facere, citò facite. Nolite timere: jugum meum suave est, & onus meum leve: &, qui sequitur me, non ambulat in tenebris.

Ecce itaque, ô anima mea! Viatorem Deum in viâ cæli regiâ: cujus ipse Alpha est & Omega, principium & finis; ut sequamur vestigia ejus sanguine tincta; nobis, qui ad sanguinem nondum restitimus, reliquit exemplum.

Verum quidem est, transtulit Dominus peccatum Davidis & meum in humeros JESU. Ecce ut jumentum factus, verè in cruce sua languores nostros ipse tulit, & dolores nostros ipse portavit, & omnia onera nostra sua fecit. Hinc qui dicit se in Christo manere, debet, sicut ille ambulavit, ita & ipse ambulare.

Iterum JESUS cum festinatione abit in montana, olim leve Virginis Matris onus, nunc gravissimi oneris debilis bajulus; vadítque super unum montium, quem illi Pater monstravit. Implent Judæi mensuram patrum suorum, imponunt onera gravia & importabilia in humeros filij hominis, & ipsi nolunt ea digito tangere. Impleant sanè, impleant mensuram patrum suorum, & in eo, qui voluntati eorum traditus est, voluntatem suam: vel inviti tamen, Prophetarum (quorum sepulchra ædificant) implebunt oracula. Ecce enim colligit JESUS cum Sareptana vidua duo ligna, unde crux fiat, in qua volens libénsque moriatur. Ecce ea ipsa ligna portat redivivus Isaac filius unicus, in quo sibi complacuit Pater, futurus victima, nec columbis nec ariete redimenda. Ecce Isaaci filius Jacob, in baculo isto cruciformi & Geometrico transivit Jordanem. JESUS non jam torrentes & flumina transibit, sed mare ipsum, & quidem rubrum, quia sanguineum, non alio quàm crucis baculo nixus. Sed neque aliam, ô anima mea! Moysis virgam expecta, quâ tibi per hoc mare via monstretur, quàm crucem. Hac virgâ, non aliâ JESUS suis viam facit, præit, monstrat. Sequere.

A Patre è cælo ad animarum venationem in mundum missus, nunc iterum relinquit mundum, & cum præda vadit ad Patrem, arcum manu gestans: & si nescis, arcus sunt brachia crucis. Multiplicati ligni crucis miraculum desine mirari, qui cre-

credis virgam aridam in manu Aaronis floruisse. Ecce plùs quàm Aaron hic, & Sacerdos & tantæ peritiæ hortulanus, qui & arescere facit virentes ficus, & florere aridos stipites. Oblationi Gedeonis Angelica virga ignem dedit, & ex oblatione fecit holocaustum. Quidquid obtuleris, ignem si è crucis contactu non conceperit, holocaustum non fiet; cujus fumus ascendat in odorem suavitatis.

Ecce, ô Judæi! nunc aufertur sceptrum de Juda, & cum sceptro regnum Dei: quando JESUS sceptrum regni sui, & clavem, humeris ex urbe asportat, ut detur genti facienti fructum ejus. Solus quamdiu est JESUS, & sine socio; boni nuncij bajulus est: nunc quia in turba est, spes non ampliùs est nec civibus nec urbi. Quanquam vacuam levémque crucem fuisse credam, nisi pondere peccatorum meorum velut arenâ maris fuisset farta: hinc pondus levi oneri additum, hinc jugo suavi amarus affusus est sudor.

Exibat itaque JESUS in eum, qui dicitur Calvariæ, locum: & exibat etiam tunc cum eo Hierosolyma, & omnis Judæa, & omnis regio circa Jordanem, Parthi & Medi & Elamitæ, & qui habitant Mesopotamiam, Judæam, & Cappadociam, Pontum & Asiam, Phrygiam & Ægyptum, & partes Lybiæ, quæ est circa Cyrenen, & advenæ Romani, Judæi quoque & Proselyti, Cretes & Arabes, & quis non? Videns autem JESUS turbas, ascendit in montem, & aperiens os suum docebat eos, dicens Septem verba, quibus omnem suam doctrinam velut epilogo conclusit. O Peccator! esto consentiens adversario tuo JESU, dum es in hac via cum eo; hoc ipse tibi suadet. Mihi absit gloriari, nisi in cruce Domini Nostri JESU Christi.

STATIO III.

LOCVS CASVS PRIMI.

GRave crucis onus inter tumultus carnificum non potuit bene portari ab exangui & nimiùm quantùm debilitato JESU: hinc corruisse eum cum cruce in terram hoc loco, traditio Christianorum est;

est; postquam octoginta gressibus crucem solus portâsset. Priusquam hinc abeamus, cum Matre dolorosa nobis considerandus est iste primus casus.

CASVS PRIMVS.

Corruit in platea Veritas, nec, plangente licèt cælo, terra movetur. Angelo descendente, concutitur; & cadente in eâ Deo, ne movetur quidem. Credo Hierosolymã non silicibus modò stratam, sed omnino saxeam esse. Supervacaneo Præcursoris officio opus nunc non habet JESUS: dudum enim est, quòd solutis corrigijs, & sepositis calceamentis incedat nudis pedibus, quos non infrequenter silicibus sauciat. Lege vestigia ejus, & disce, quid mereantur, qui choreas ducunt. Ubi JESUS vel parùm à saltantibus Judæis abludit, subitò ad numerum & cadentiam tactu fustium soliciteque reducitur à Judæis. Improbi saltatores & Herodiadum filij in hoc tanto pejores, quòd præter Joannem etiam JESUM unico saltu perimatis. Experimentum fecit heri JESUS, & quidem ad pedes Judæ, calcari se etiam à Judæis posse.

STATIO IV.

LOCVS B. V. STANTIS.

Surgens JESUS sexaginta & unum gressus ambulavit solus cum cruce ad locum, ubi ei occurrit B. V. cum S. Joanne. Cecidisse hîc B. Virgo & spasmum seu deliquium passa, traditur à pluribus auctoribus, & creditur ab Orientalibus Christianis, qui Ecclesiam eo loco à S. Helena fabricatam vocârunt Spasmum Virginis. Lapis, super quem cecidisse creditur, positus est à S. Helena ante majus altare. quem lapidem Ecclesiâ profanatâ P. Guardianus Montis Sion P. Bonaventura Cursetus, prece & pretio emptum, supra portam majorem sacræ Domûs Montis Sion honorificè collocavit. Hodie ferè

nihil de hac Ecclesia ampliùs superest. Priusquam hinc abeamus, cum Matre dolorosa nobis duo consideranda sunt. 1. Verba B. V. 2. B. Virgo.

I. VERBA B. V.

S. Brig. l. 2. c. 7.

FIlium meum, qualis est in cælo, videre non poteris; sed qualis erat secundùm corpus in mundo, cognosce. Ipse enim tam pulcher facie erat, quòd nullus videbat eum facie, qui non consolabatur in aspectu ejus, etiamsi præcordialiter dolorem haberet. Justi verò spirituali consolatione consolabantur; sed & mali à tristitia sæculi tanto tempore, quo eum videbant, relevabantur. Unde & dolentes dicere consueverunt: Eamus, & Filium Mariæ videamus, ut saltem tanto tempore relevemur. Anno igitur vigesimo ætatis suæ in magnitudine & fortitudine virili perfectus erat: inter medios moderni temporis magnus, non carnosus, sed neruis & ossibus corpulentus. Capilli ejus, supercilia, & barba croceè bruna erant: longitudo barbæ palmo per traversum manûs, frons verò non prominens vel mersa, sed recta. Nasus æqualis, non parvus, nec nimis magnus. Oculi verò ejus tam puri erant, quòd etiam inimici ejus delectabantur eum aspicere. Labia non spissa, sed clarè rubentia. Mentum non erat prominens, nec nimis longum, sed pulchro moderamine venustum. Maxillæ carnibus modestè plenæ. Color ejus erat candidus, claro rubeo permixtus. Statura ejus recta: & in toto corpore suo nulla macula erat; sicut & illi testabantur, qui eum totaliter viderunt nudum, & ad columnam ligatum flagellabant: nunquam super eum vermis venit, non perplexitas aut immunditia in capillis.

II. BEATA VIRGO.

SI post Magos Mater quoque Filium quærat amissum, reperiet eum in comitatu, prô! quàm diverso ab illo, in quo olim quærebatur: utra-

utraque vice in medio, tunc doctorum, nunc latronum, audientem ut illos, ita & istos, & interrogantem eos. Puer nempe doctoribus sufficiebat: latronibus convertendis opus erat, ut proficeret priùs sapientia & ætate & gratiâ apud Deum & homines; quia faciliùs docentur doctores, quàm convertuntur latrones.

Ecce homo! factus est JESUS spectaculum Deo, qui nunc respicit humilia in cælo & in terra: hominibus, quibus positus est in signum, cui contradicatur: Angelis, quibus fuit causa, ut amarè flerent: omnibus lapis offensionis, maxima quæstio mundi; quando animam Matris Filiíque corpus unus idémque doloris gladius pertransivit. Dolorem Matris nulla statera ponderabit, nulla mensura mensurabit. Scire eum si vis, filium aspice, & ex doloribus illius portendi videbis dolores matris: qui majores ut non sint doloribus filij, certè multò minores non sunt. Sensit illa flagella, spinas, alapas; sensit opprobria, calumnias, & contumelias. Crediderim, etiam flevisse sanguinem: possibile enim Deo cùm sit, apud quem sunt omnia possibilia, ut sanguis in Catharinis mutetur in lac; possibile etiam erit lacrimarum aquam mutare in sanguinem. Hoc genus doloris matri debebatur. Bone JESU! quis non fleret, matrem tuam si videret in tanto supplicio?

STATIO V.

LOCUS SIMONIS ANGARIATI.

TRivium est, ad quod per portam Damasci seu Anguli venit Simon Cyrenæus, à Judæis angariatus, ut tolleret crucem. Distat à loco proximo B. V. septuaginta & uno gressibus. Neque aliud, quod sciam, hîc unquam monumentum positum est. Priusquam hinc abeamus, cum Matre dolorosa duo nobis consideranda sunt. 1. Verba B. V. 2. Simon.

I. VERBA B. V.

S. Brig. l. 1. c. 10:

CUmque judicatus esset, imposuerunt sibi crucem portandam, quam cùm modicum portâsset, veniens unus assumpsit eam sibi portandam.

II. SIMON.

VErè nunc, si unquam, exijt Judas Machabæus, & occurrit ei in auxilium frater ejus Simon. Ita alter alterius onera portantes, adimplebimus legem Christi, qui voluit, ut si quis ipsi ministraret, ipsum sequeretur; & ubi ille esset, esset & minister ejus. Verè Christus passus est pro nobis; nobis relinquens exemplum, ut sequamur cum Simone vestigia ejus.

JESU machæram, quâ principem tenebrarum foras ejecturus erat, Simoni armigero porrigit, & ad paria invitat. Non miror, Simonem invitum: tanti pretij thesaurum ignorat. Thesauros hominibus invidet dæmon, & suos esse vult: ideo suadet hominibus, ut eos defodiant profundè, ut inferno, unde sunt, propiores sint. Ne hominibus prosint, ipse cum solicitudine custodit. Crux, à qua omnes thesauri sapientiæ & scientiæ Dei pendebunt, ipso jubente à Judæis in voraginem præcipitata, superingestis molibus, quin & premente statuâ Veneris, non credebatur visura lucem; postquam etiam ex ipsis Christianis, ne unus quidem reperiretur, qui thesauri locũ sciret. Neque crux hæc abnuet infra terram abjici; quia finis, scopus, & centrum & universi. Imò sic volentibus Judæis ad ipsum usque infernum, Domini sui humilitatem non erubescens, permitteret se abjici. Noluit tamen dæmon tanto periculo suo machærã hostis sui sibi tã vicinam. Mallet ex ferro esse, quàm hoc ligno, aptiorẽ utiq; futuram infernalibus flammis, & faciliùs decoquendam. In terrâ velut vaginâ reclusam, trecentis viginti sex annis non timebit. Timebit, cùm octogenaria Helena, potens Regina,

na, Crucem hanc è terra, velut è vagina ſua, extrahet: à qua, ut olim à reperto legis libro ſub ruinis, peſſundabitur Idololatria. Nec minore jure celebrari poterit olim repertæ crucis Feſtivitas, quàm quo reperti olim ignis feſtum inſtitutũ eſt. Si nomen mulieris quæris, quæ amiſſam drachmam reperit; Helena eſt, quæ non jam ſcopis, ſed ligonibus veſtigatam repertámque tanti pretij drachmam, pro mundi vitâ & lytro ſuffecturam, reperiet, & remotas orbis partes, velut vicinas (gaudio fidem faciente) invitabit ad plauſum.

Etſi homo ad laborem creatus fortè non ſit, ad laborem tamen natus eſt, atque ideo viri non eſt, timere ſudorem. Recuſavit Simon laborem, quem contrà quàm initio exiſtimabat, in fine expertus eſt ſuavem. Simul ac Moyſes Dei juſſu ſerpentis caudam, & Tobias juſſu Angeli balænæ branchiam apprehendit, timor omnis & labor evanuit. Idem experitur Cyrenæus; poſtquam crucis ſive caudam ſive branchiam apprehendit. O anima mea! quod hoc in labore remanſit, ecce de induſtria ſervatum eſt tibi. Sed ecce ſolum ſine ſocio Simonem! Nempe ad Deum omnes venire volunt, poſt Deum pauci. Simplex ipſe Deus cùm ſit, ſimplices corde, tanquam ſibi ſimiles, eligit pediſſequos.

Ecce Scribas & Phariſæos, qui JESU meo alligant onera gravia crucis & importabilia, quæ neque ipſi neque patres eorum portare poſſent: & tamen nec digito volunt attingere. & ne Simonem quidem admitterent, niſi metuerent, ne fortè JESUS in via deficeret. Audite cæli, & auribus percipe terra! olim ſolicitus pro turbis erat JESUS, ne deficerent in via; jam ipſæ quoque turbæ ſolicitæ ſunt pro JESU, ne & ipſe deficiat in via: & è tot turbis unus omnium loco, & quidem vix coactus, repertus eſt, qui ſuccurreret.

Si jugum tuum, ô JESU! ſuave eſt, & onus tuum leve, cur Simone indiges? Sed ſi bene intelligo, hoc non dixiſti de jugo, quod à nobis tibi, ſed quod à te nobis imponitur: & hoc ipſum levius nobis ut ſit, pro Simone nobis ſervis, & portas nobiſcum. Non memini, te unquam niſi in Patris voluntate expreſſiſſe tuam: hac una in re, volo, inquis, Pater, ut ubi ego ſum, illic ſit & mi-

niger meus. Ita Simonem tuum vivus canonizâsti: ita me quoque, si te sequar, amas; ut etiam cum Patre propter me contendas. Pone me, mi JESU! juxta te & cujusvis manus pugnet contra me.

STATIO VI.

DOMUS VERONICÆ.

Domus S. Veronicæ distans à trivio angariati Simonis centum nonaginta & uno gressibus, hodie angularis non est; sed hinc inde domos habet, éstque ad sinistram euntibus ad portam judiciariam. Parvum habet ostium, & antè in via duos prominentes gradus, per quos in illam est ingressus. Hic S. femina transeunti JESU peplum obtulit abstergendæ faciei, quod triplicatum ut faciem JESU tetigit, formam faciei venustissimo miraculo excepit. Priusquam hinc abeamus, cum Matre dolorosa considerandus nobis est vultus JESU.

VULTUS IESU.

Præparare in occursum Dei tui, mulier fortis: & cùm sis sancta & pudorata, gratiam super gratiam addes, reddétque tibi Dominus pro opere tuo. Ostendat Dominus faciem suam tibi, & misereatur nostri. Audivisti enim vocem Domini tui, & honorâsti faciem ejus. Hoc unum à te peto, felicissima Berenice, non avertas à me faciem Christi tui, usque dum ectypon ejus designem in corde meo. O Domine! ut video, non faber modò es, sed & pictor. Extare ubique voluisti dolorum tuorum imaginem: ubi illas non potes in animis nostris pingere, pingis in telâ. Expertus te primùm es, cùm responderes Abagaro: nunc tanti operis molitioni jam proximus, non ultrà delineandi, sed & colorandi peritiam probas, & tantæ artis tam nobile opus donas Veronicæ: quæ sola tunc ex præsentibus digna fuit; quia sudoris tui pretium agnovit.

STATIO VII.

LOCVS LECTÆ SENTENTIÆ.

EST domus juxta portam judiciariam ad manum ſiniſtram exeuntibus, cum in finem turrita, ut inde maleficorum legerentur ſententiæ. Lata quidem fuit ſententia in Palatio Pilati; ſed hîc (utique expectante & audiente JESU cum populo) promulgata. Priusquam hinc abeamus, cum Matre doloroſa conſideranda nobis eſt ſententia.

SENTENTIA.

VIdi ſub ſole in loco judicij impietatem, & in loco juſtitiæ iniquitatem. Cauſa fiſci apud Pilatum ſemper bona fuit; cauſa Chriſti ſemper mala: quaſi enim impij cauſa judicata eſt, & ipſe cum ſceleratis reputatus. Pilate! imperantis eſt præeſſe, non ſubeſſe. Non regnat, ſed ſervit, qui malus eſt. Noli quærere fieri judex, niſi valeas virtute rumpere iniquitates. Conceſſum videtur, quod non prohibetur. Sententia lata ex falſis actis, ipſo jure nulla eſt. Actionem non tollit tempus; ideóque quod differtur, non aufertur. Dabitur Chriſto reactio contra Judæos, veniétque ſanguis ipſius ſuper ipſos, quando appellatio ab ipſo fiet, à Judice ad Patrem; imò quando ipſe judex tempus ſibi acceperit, & juſtitias has tuas judicaturus eſt, non alio vel accuſatore vel teſte, quàm conſcientiâ tuâ, quæ vel nunc te damnaret, ſi Chriſtus nunc non ſtaret, ſed pro tribunali ſederet. Non enim ſecundùm allegata & probata judicâſti; quia innocentem ſanguinem ſciens volens effudiſti. Exurge, ô Pater æterne! & judica cauſam tuam: ſi enim tu & filius tuus unum eſtis, cauſa quoque vobis veſtra communis erit.

STATIO VIII.

PORTA VRBIS.

QUæ hodie est, creditur esse eadem, quæ tempore Christi fuit propter antiquitatis vestigia, quæ in ea cernuntur. Tunc aperta erat; nunc clausa muro est, distátque à domo S. Veronicæ trecentis triginta sex gressibus. A judicijs judiciaria dicta est, quia ad judicandum olim ibi seniores sedebant. Extra hanc etiam portam fiebat judiciorum executio. Priusquam hinc abeamus, cum Matre dolorosa duo nobis consideranda sunt.

1. JESUS egrediens.
2. Casus secundus.

I. IESVS EGREDIENS.

AMbulate, ô Judæi! dum lucem habetis: veniet intra paucas horas tempus, quo in tenebris plùs quàm Ægyptiacis constituti, ambulare non poteritis. Ecce enim JESUS meus, velut alter Beniamin, cum tristitia in Ægyptum obducitur, fratres liberaturus. Etiamsi Hierusalem sit domus Dei; porta tamen hæc porta cæli non est, ad cujus ostium stabit JESUS, quem vos nunc ejicitis. Amen dico vobis: Non omnis, qui dixerit, Domine Domine, intrabit per illam. O quàm angusta porta & arcta via est illa, quæ ducit ad vitam. Verè verè quantum distant cogitationes vestræ, ô Judæi, à cogitationibus JESU, tantùm etiam distant viæ vestræ à vijs ejus.

Sanguinarij Judices ut vineam acquirant, Nabothum urbe ejiciunt: & ne sine causa ejiciant, idoneis testibus blasphemum mentiuntur, ipsi blasphemi. Quid, obsecro, debuit facere vineæ suæ JESUS, & non fecit? ô improbi agricolæ! Heres est. Ergo ejiciendus extra vineam, & occidendus, ut vestra sit hereditas. Non sic. Nam vivit etiamnum pater heredis, qui missis exercitibus suis vos malos malè perdet, & vineam suam locabit alijs agricolis. Amen dico vobis: non præteribit generatio ista donec omnia ista fiant. O JESU! tui

tui te non recipiunt, quantumvis in propria venias. Jam puero tibi locus non erat in diversorio, viro nec in urbe est. Exire te urbe sua Geraseni rogant; Hierosolymitani etiam extrudunt, tantò ingratiores illis, quantò plus boni à te accepêre Hierosolymis homines, quàm damni intuleris apud Gerasenos pecoribus. Vindicta tua, ô JESU! te Deum probat: nam quâ vi te illi compellunt exire urbe suâ, eâ vi tu compellis illos intrare in domum Patris tui. Portâ egredi licet, non alia urbis parte. Hoc si non esset, è supercilio mœniorum te præcipitarent, nunquam non præcipites Hebræi.

II. CASUS SECUNDUS.

EN altera jam vice prostratus, à Patre veniam rogat urbi, sub cujus portâ procidit; & orbi, pro quo moritur. Qui sicco pede olim ambulabat super aquas, nunc sicco pede ambulare non potest supra terram, quin sanguinem fundat & vestigia legentibus viam describat; ut, quà sit eundum, intelligant. Imò quia à perfidis Judæis supplantabantur gressus ejus, vix pusillum à sententiæ loco progressus, procidit in faciem suam, & adhæsit pavimento anima ejus. Inclinans itaque JESUS se deorsum, digito scribebat in terra trinam (nam ter cecidit) absolutionis nostræ sententiam, qui pro una adulterá absolvenda bis se inclinârat. Casus tuus, mi JESU! apud Patrem tuum & nostrum facit, ut cùm ceciderit homo, non collidatur; quia tu, Domine, supponis manum tuam. Surge Domine, atque iterum tolle grabatum tuum & ambula: brevis tibi, sed tamen grandis, adhuc restat via.



LIBER II.

LIBER II.

PASSIO DOMINI NOSTRI JESU CHRISTI EXTRA VRBEM.

SCelera nostra, quæ commisimus noctu extra urbes, pœnam suam tulere in Christo: uti etiam pro illis jam satisfactum abunde est, quæ à nobis in urbibus tam de nocte quàm etiam die pleno patrata sunt. Superest, ut bonus JESUS pro ijs quoque hominum delictis patiatur, quæ pleno die in oculis solis hujus extra urbes committuntur. Huc JESUS properat, jámque surgens è terra extra portam est. Ut ex ordine progrediamur in hoc Mariano Itinere, librum hunc distinguam in duas vias. Prima erit in suburbium. Secunda in Montem Calvariæ.

VIA I.

MATRIS DOLOROSÆ. IN SVBVRBIVM.

QUanquam Hierosolyma Suburbium propriè non habuerit, Suburbij tamen nomine seu pomœrij intelligo totum illud spatium, quod urbem inter est & Montem Calvariæ, quod tempore Christi fuit extra urbem: nunc proprio muro clausum, adjunctum est ipsi urbi, sive ab Adriano Imp. sive, quod credibilius est, à S. Helena. Ut ex ordine progrediamur in hac via Mariana, eam distinguam in duas stationes.

1. In loco mulierum flentium.
2. In radice Montis Calvariæ.

STATIO I.

STATIO I.

LOCUS MULIERUM FLENTIUM.

LOcum istum Adrichomius posuit extra urbem in pleno campo in bivio quodam, distátque à porta urbis trecentis quadraginta octo gressibus. Hîc mulieres flentes Christus allocutus per transitum est. Priusquam hinc abeamus, cum Matre dolorosa considerandæ nobis sunt mulieres flentes.

I. MULIERES FLENTES.

HAbet in promptu lachrimas devotus muliebris sexus, gemens & dolens super abominationibus. Planxerunt JESUM, donec deficerent in eis lachrimæ, renovato Jephtiadis planctu. Nunquam mulier prudentiùs flevit, quàm hoc in loco & hac de causa: eam ob causam hæ lachrimæ tantopere Christo placent, quia causa lachrimarum placet: tanti est, è quo fonte scaturiant rivi. Rosas & cinnamomum flevisse credas; ita JESUS ex ijs lætitiam sensit in tantis doloribus. Insuper alloquio dignatus est eas, quas solas in tanta turba vidit suis doloribus moveri. Tanti est, Christo condolere. Consolamini, consolamini filiæ Sion: absterget JESUS omnem lachrimam (pro se fusam) ab oculis vestris: & tristitia vestra, cùm resurrexerit, vertetur in gaudium, & gaudium vestrum nemo tollet à vobis.

STATIO II.

RADIX MONTIS CALVARIÆ.

SAxosâ & aliquantùm arduâ hac viâ tandem Jesus venit ad radicē rupis Calvariæ, postquam perfecisset à loco mulierum gressus omnino trecentos sexaginta & unum. Priusquam hinc abeamus, cum Matre dolorosa considerandus nobis est Casus tertius.

I. TERTIVS CASVS.

TErra, terra, terra! audi sermonem Domini, quem jam tertiùm prostratus JESUS ad Patrem fecit. Cadit in terram frumenti granum, ne jamjam moriturum solum maneat. Vel nunc in manibus tuis vita tua est. Apta digitum, legibus in lapide scribendis assuetum; scribe in pulvere hoc olympico Calvariæ, contra populum hunc, non ampliùs tuũ, amaritudines, scribe peccata eorum. Amen dico tibi, unus post unum abibunt, incipientes à senioribus, & te solum relinquent. Ita in digito DEI ejiciuntur hæc dæmonia clamantia.

Sed non venisti huc per tam asperas vias, ut scribas peccata nostra, sed ut scripta deleas; vel si materiam scribendi nunc paras, circumspicis in his, qui adsunt, mundum universum, vidésque & quæris eos, qui apti sunt regno Dei: ut, cùm clavum prehenderis dexterâ velut calamum, scribas eorum nomina in cælis.

Audis, ô Homo! dæmonia clamantia & dicentia: Ascende calve, ascende calve, Calvariæ rupem. Credi possunt esse fratres puerorum illorum, qui eundem sarcasmum Elisæo occinentes, ursorum in se sævitiem proritaverunt. Duo & quadraginta pueri duobus vix suffecere in cœnam. Aluntur etiamnum in Romanis carceribus ursi duo, Titus & Vespasianus, post quadraginta annos in Hierosolymitanos emittendi. Quanto ferociores futuri sint illis, ex funerum numero colliges.

VIA II.

MATRIS DOLOROSÆ IN MONTEM CALVARIÆ.

MOns Calvariæ, mons petrosus, mediocriter altus, si planitiem circumjacentem aspicias (hodie à pavimento templi gradibus octodecim, sive pedibus quadraginta exaltatus est, sicut hodie fora.

foramen positę crucis altissima pars montis, id est, in ipso altari sit). Sin verò urbem respicias, potiùs dices paulatim ad hunç montem peregrinos descendere. Nomina habuit varia: fuit enim appellatus in veteri Testamento, Dominus videbit, mons Moria, & Goatha: in novo, Calvariæ locus, Golgotha: à Gentibus, Venerarius. Hoc in loco noxij publico judicio damnati, extremo supplicio plectebantur; ubi quovis tempore, sicuti circa patibula videre est, passim jacebant calvariæ, ossa, viscera, & sanies hominum suspensorum, decollatorum, vel alio mortis genere occisorum. Duo magnæ considerationis hoc in monte contigisse, fusè & fundamentaliter probat Quaresmius.

1. Adamum sepultum fuisse in caverna montis sub ipsa cruce, ubi hodie in veneratione est sacellum Adæ.

2. Hoc ipso in monte ab Abrahamo fuisse factum Isaaci sacrificium, Deo tam acceptum. Ut ex ordine progrediamur in hac via Mariana, eam distinguam in novem stationes.

1. Locus denudationis.
2. Carcer.
3. Locus inclavationis.
4. Locus fixæ crucis.
5. Locus B. V. Stantis.
6. Locus ludi.
7. Locus depositionis.
8. Lapis unctionis.
9. Locus S. Sepulchri.

STATIO I.

LOCVS DENVDATIONIS.

POnitur ab Adrichomio distare à loco tertij casûs octodecim gressibus. Hîc denudatus JESUS est. Priusquam hinc abeamus, cum Matre dolorosa duo nobis consideranda sunt.

1. Verba B. Virginis.
2. Denudatio.

I. VERBA B. V.

S. Brig. l. 1. c. 10.

CUmque venissem cum eo ad locum Passionis, omnia instrumenta vidi ibi præparata ad mortem suam. Et ipse filius meus veniens

veniens ibi exuit se personaliter vestibus suis, ministris inter se dicentibus: Hæc vestimenta nostra sunt, nec ea rehabebit, quia damnatus est ad mortem. Stante autem filio meo, sicut natus erat, nudo corpore, unus tunc accurrens, apportavit sibi velamen, quo ipse exultans intimè, velabat verenda sua.

II. DENVDATIO.

DEnudatur, qui lilia vestit: projiciuntur vestes, quarum fimbria ægros sanavit: ligabuntur manus, quæ panes multiplicabant: vincientur pedes fatigati in quærenda ove. Dum à Ministris Satanæ nudus spernitur, à legionibus Angelorum adoratur. Ecce non murmur resonat, non querimonia. Cùm malediceretur, non maledicebat: cùm pateretur, non comminabatur; sed tanquam agnus coram tondente, imò coram excoriante se obmutuit, & non aperuit os suum. Nuper plurima turba straverunt vestimenta sua in via, nunc eum proprijs spoliant. Mater, quæ non nisi nascentem nudum vidit, vultum avertit: ipsi verò carnifices consideraverunt & aspexerunt in eum, impudici canes; nec tamen alium, quam qui virtutis color est, deprehenderunt: nullus enim hic Japhet est, nullus Sem ad hunc Noë cooperiendum.

Aptate vestras lampades, ô Virgines! ecce sponsus venit, & quæ oleum non habetis ad Tiberim ite: non procùl hinc jam pridem oleum dedit tellus, quo & lampades arderent, & Athletæ ungerentur. Ipse sponsus in arenam descendit ad luctam. Currens ad metam crucis, impedimenta vestium exuit, semper inter pannos: nam & nascens pannis involutus est, & moriturum pannus aliquantisper texit, dum mortuus iterum pannis involutus est.

Optime JESU & amice! quomodo huc intrâsti, non habens vestem nuptialem, & quidem in die desponsationis tuæ, quo te coronavit Mater tua? Tunicam petunt adversarij tui in via, & licèt secundùm præceptum tuum dederis eis & pallium; tamen ab eis ad Judicem, ad judicium, ad crucem traheris. Tunicam tuam accipiunt Fratres invidi, ut eam sanguine tingant, & quidem

quidem tuo, quærántque ex Matre, num hæc tunica filij sui sit. Ter nudatum te lego. (Quanquam vix lego, cùm erubescentes Evangelistæ, Seraphinorum more, tantam ignominiam ne pronuntiare quidem voluerint.) In flagellatione, coronatione, crucifixione. An ut expoliantes nos veterē hominem, jam non duplicibus sed triplicibus vestiremur, seu vestibus seu armis, Fide, Spe, Charitate? an ut nos Spiritûs S. virtute indueremur ex alto? an ut vestium pompam summè damnares? An ut revixisse innocentiæ sæculum mundus credat, quando novus Adam in Paradiso, iterum nudus arbori manus applicat? an ut baptismo se præparet, quo habet baptizari? invisa DEO nuditas est, quam non tegit innocentia: ideo cum Adamo ipse Deus erubuit, non sustinens ille videri, hic videre; ut vel sartoris officium facere ipse Deus non dedignatur. Habet Adam, à quo tegatur & protegatur: Habet & Noë: neminem JESUS. nam qui possunt, non volunt; qui volunt, non possunt. O anima mea! si videris nudum JESUM, operi eum, & carnem tuam ne despexeris. Thabitham ideo à morte suscitatam credo, quòd vestes fecerit. Paratum cor meum DEUS, paratum cor meum. O Domine! ecce & ego in flagella paratus sum, ego non solùm alligari, sed & mori in Hierusalem & Monte Calvariæ paratus sum propter nomen tuum. Quod si dæmon me expetierit, ut (quod Petro fecit) cribret sicut triticum: tu me tunc respice, & ora pro me, ut non deficiat fides mea, sed in Charitate & Spe confirmetur; ut in finem usque perseverans salvus fiam. Amen, Amen.

STATIO II.

CARCER.

DEnudatus ante carcerem JESUS, ita nudus expectare intus jussus est, dum omnia ad crucifixionem pararentur: hîc potatus est vino myrrhato, felle mixto. Cæterà carcer hic aliud non fuit, quàm caverna quædam montis, in qua plectendi expectarent tantisper

per, & vino myrrhato potarentur & confortarentur. Locus in Capellam versus est: habet tres parvas naviculas, quæ duabus pilis quadratis pristinam antiquitatem conservantibus, fulciuntur. In capite majoris est altare, ante quod, ut in alijs sanctis locis Ecclesiæ S. Sepulchri, lampades ardent. Longitudo est palmarum viginti cum dimidio, latitudo octodecim, & quatuor unciarum. Tres portas habet; sed quæ in læva parte est, clausa est. Est ibi magnum & memorabile marmor, de quo sunt diversæ & incertæ traditiones. Priusquam hinc egrediamur, cum Matre dolorosa considerandum nobis est vinum.

I. VINVM MYRRHATVM.

ITa est. Omnis Homo primùm bonum vinum ponit, deinde quod deterius est. Nunc enim crucifigendo JESU propinant vinum bonum & myrrhatum, paulò pòst propinaturi acetum crucifixo, spongiâ in crateris officium subiturâ. Vinum tristitiæ remedium, & laborum pharmacum, tantùm non etiam sub finem invident impij; & felle miscent; ne, si vellet bibere, posset. Cogetur certè cæterà mitissimus JESUS ad iracundiam, furorisque plenam contra nos sententiam, quando labra ejus nos ipsi felle inficimus, Mariâ lacte suo dulcissimo nequidquam ad misericordiam inclinante. Non bibit JESUS, sed gustavit tantùm; licèt sine myrrha nec nasci nec mori vellet: sive quia gratia tarda, ingrata est; sive ne de genimine vitis biberet, de quo bibiturum se negârat in cœna; sive ut in calice restaret, de quo bibere omnes possent; sive ut suis tam tumultuosi támque luxuriosi liquoris abusum redderet abominabilem. Prô! quàm pauci sunt, qui de voluptate judicium faciunt incorruptum! In vino, ut in speculo, multorum ingenia pervidentur. Qui præter omnia etiã semetipsos ignorare volunt, se inebriant: & tales cùm sunt, modò domi manserint, sapientes se credunt.

STA-

STATIO III.

LOCUS INCLAVATIONIS.

DIstat locus hic duodecim gressus à carcere prædicto. Quanquam libenter propter non exiguas rationes dicerem cum tota antiquitate & veteri tot auctorum traditione, Christum hoc in loco crucifixum esse: non audeo tamen contradicere B. Virgini, quæ tam fusè & distinctè modum crucifixionis in ipso loco crucis fixæ S. Brigittæ descripsit. Cujus revelationes aliàs his auctoribus summè auctoritatis loco sunt, miror, cur eam in hoc tam claro puncto deserant. Ego sequar indubitatè sententiam B. V. quam ipsa S. Brigittæ eadem auctoritate quà cætera, & distinctiùs quàm cætera revelavit. Ut antiquitati & auctoribus suum relinquam honorem. Concedo primò, hoc loco fuisse à carnificibus positam crucem, & si quæ ei deerant, elaboratam. Concedo secundò, fuisse hîc JESUM reclinatum supra crucem, & si velint, etiam funibus extensum, ad capiendam mensuram foraminum terebrandorum. Concedo tertiò, remoto & astante JESU fuisse terebrata hoc loco tria foramina, appositúmque titulum. Concedo quartò, jam tum à jacente JESU crucem effusione sanguinis JESU & contactu sacratissimi corporis sanctificatam. Ita ut ob ista non frustra locus fuerit tantopere ornatus, ut par alius in terra sancta non sit. Camera illius, opere mosaico depicta, duo habet altaria, in quibus celebratur Missa. Priusquam hinc abeamus, cum Matre dolorosa consideranda nobis sunt quinque.

1. Crux.
2. Titulus.
3. Clavi.
4. Malleus.
5. Christus prostratus.

I. CRUX.

ECce arcum triumphalem cum titulo, unde victoriarum legas epitomen. Ecce castrum securo monti inædificandum, cui nec aqua desit

desit, quam in latere habet. Ecce candelabrum, super quo ponetur lux mundi, ut luceat omnibus, qui in domo patris sunt. Mortua jam mors est. Quid dubito? ecce telum, quo interempta est: ecce feretrum, quo elata. Hic hamus est, quem JESUS piscatoribus dat omnem creaturam capturis, ipse futurus esca. Ecce malum & anchoram navis, qua vehatur Ecclesia Sponsa. Titulus erit pro carchesio, anchora figetur in rupe Calvariæ. Si navi huic crucem excusseris, temonem gubernaculi excussisti; sine quo salvari, cum quo perire nemo potest. Quomodo Ecclesia abyssum vel mundi malitiæ, vel Dei misericordiæ exploraret, si bolide crucis & funibus careret; Hac navi salvari debebit naufragus mundus, ne pereat aquis, qui debetur igni; & verò etiam potest: nam pro vento est ei lenis Spiritus, qui ferri solet super aquas: pro cynosurâ servit Stella Maris Maria. Pons denique crux esse jussa est, qui terram cælo jungeret, & cùm opus esset, sublicius, ne omnibus promiscuè pateret aditus, ab ipso JESU vero Pontifice. Pro debilibus & senibus voluit, ut esset currus Israël, cujus ipse auriga esset. Vt innocentibus crepundijs serviret, infantiæ ipsi crucem concedit, cui plerumque lubet equitare in arundine longa. Fortioribus daturus eam pro baculo, in quo secum & Jordanem transeant, & mundi Oceanum.

Iturum ad nuptias solicitum Iacobum, cælestem suam familiam videre fecit Deus: sed non bene novit omnia Iacob, quia clausis oculis & dormiens vidit. Pater summitati scalæ crucis innixus, obdormienti ad hanc scalam Filio nuptias fecit. Et verò matrimonium Christi cum Ecclesia in morte ejus non modò ratum, sed, ut ipsemet fassus est, Consummatum est. Et quia nuptiæ fuerunt regis, & secundùm ordinem Melchisedech etiam Pontificis; servire crux eadem debuit & pro throno Pontificis, è quo supplices exciperet, & pro tribunali regis, è quo diceret reprobis, Ite: Venite, probis. Securus accedere ad regem JESUM non potes, nisi tibi apicem sceptri hujus osculandum porrexerit. Erit cùm in die virtutis suæ (quando regnabit à ligno Deus) gladio hoc rebellem mundum domaturus, in medio inimicorum suorum Romæ

regalis

regalis Sacerdotij ſedem ponet, Iudæos in hac virga ferrea confringet, & omnes inimicos ſuos cornu hoc crucis ventilabit: regnúmque ſuum, quod non eſt de hoc mundo, exaltabit.

Ignem, ô JESU! veniſti mittere in mundum, voluiſti inſuper ut accenderetur. Ecce duo ligna viduæ Sareptanæ, igne amoris concepto, flammam dabunt. Quin & pro veru ipſa crux erit; in quo tu, ô JESU! Agnus Paſchalis, ut pares cibum anima meæ, aſſéris. Jacuerat demerſus in fundo mundus. Vt eum extraheret Servator, è cælo in terram, è terra deſcendit in Jordanem, bis nudus. Neque tamen tantis impenſis adhuc effectum eſt, ut hoc mundi Pomum nataret! Ferreum credo erat, pondúsque non ſolùm à Marte ſed & à morte acceperat: jacerétque ſuo in luto & fundo adhuc, niſi JESUS Eliſæum imitatus, admoto crucis ligno velut manubrio, nocens hoc ferrum eruiſſet, & natare docuiſſet hoc pomum, jam tertiùm nudus. Tantæ molis erat! & ne temporis ratio, unà cum memoria facti, interiret; ſcito, eodem die, eadémque horâ poſt tot ſæcula, ligno crucis extractum è fundo mundi Pomum, quo die quáque hora olim ab Adamo fuerat demerſum.

Magnæ profectò virtutis lignum, quantumvis vitioſum crederetur. Contactus nudi JESU trihorio unico, dedit & tincturam & unctionem, fecitque ex cruce aſpera ſuavem, ex ſterili frugiferam, ex abiecta ſublimem. Aſcendet illa ſuo tempore è foſſa ad nobilium pectora; hinc ad Regum & Imperatorum frontes, imò ſupra malos navium, apices turrium, cacumina montium. Colorem induet, ut Chamæleon; rubeum, ſi Calatravæ fuerit; ſi Divi Ioannis, album; viridem, ſi Alcantaræ Religionis; ſemper aurea. Hanc laudem Filius fabri meretur, quia materiam ſuperabit Opus.

Ventilabatur à Pilato quæſtio de veritate, cujus ne definitionem quidem vel noverat, vel audire volebat. Dedignatus eſt JESUS, in Schola non ſua explicare tantæ utilitatis doctrinam: ejus loco docuit ſuos taciturnitatem. Veritati in aula locus rarò eſt, ubi adulatio omnia eſt. Tam ſublimia dicturus, hanc ſibi parare fecit cathedram argumento parem, in qua non numera-

ret auditores suos, sed staterâ crucis ponderaret.

Arborem hanc fatuam, quæ nunc paratur, sycomorũ ascendet, faciétque Cælestis sapientiæ Cathedram: quia nuspiam in humili loco prædicanda est doctrina, quæ ex alto venit. In hac sedebit Scripturarum interpres, & moralis Theologiæ Professor, Theses doctrinæ suæ publicè defensurus; contradictionibus disputantium expositus. Novo gratitudinis genere stylis ferreis confodietur à discipulis, olim visuris, in quem pupugerunt. Hinc S. Cassiano tantum in Martyrio gaudium; quòd similia Magistro passus sit ipse à suis discipulis Magister. Petrus & Andreas par nobile Fratrum, quibus etiam mori in cruce dabitur, sic pati, sic intrare in gloriam, gloriosum ducent.

Rapuit in admirationem octo mundi partes colorata cæli Zona, è nube roscidâ formata Iris, oculorum lætitia simul & ludibrium. Et verò gaudium tunc attulit universo mundo. Fleverat satis Cælum Orbis interitum; cùm plorantis risus Olympi visa est Iris, novo titulo splendidior, quem illi Dominus vitæ & mortis dederat. Arcum namque & signum fœderis esse voluit, Deum inter & homines pacti: hoc olim. Nunc aliud mediante Christo fœdus Deum inter & homines pactum est, aliúdque fœderis pacti signum datum; signum nempe Filij hominis: quod nunc, ut vides, in terra paratur, ut exaltari mereatur in cælum; ut supra iridem splendeat. Vide ergo, anima mea! arcum hunc fœderis coram te in terra jacentem, & benedic Deo, qui fecit illum. Tunc enim, quando hic arcus crucis exaltatus fuerit à terra, & in cælo positus, habebunt diluvia sanguinis & persecutionum finem suum, & non erit neque luctus, neque clamor, neque ullus dolor ampliùs: quia prima abierunt: hyems transijt, imber abijt, & recessit. Ascendet tunc pacis Mediator JESUS, Arcum hunc, judicaturus, qui nunc adstat judicatus, vivos & mortuos, & sæculum per ignem. Erunt oves tunc à dextris, hædi à sinistris, videbúntque filium hominis in majestate suâ magnâ. Ideam judiciariæ actionis illius paulò pòst ipse monstrabit in cruce, ubi velut in arcu sedens Judex, & ovem habiturus est à dextris, & à sinistris hædum. Vtrique pro meritis

ritis dicetur sententia. Hoc jurisdictionis actu possessionem accipiet datæ potestatis omnis in cælo & in terra: nec ampliùs Juramenti reus erit, quo promisit, aliquos è suis discipulis non visuros mortem, priusquam viderent regnum Dei. Hic nempe, quem nunc in terra parari vides, est Thronus Gloriæ, ante quem quatuor & viginti reges illi (quia coronati) & senes venerabundi procidentes adorant sedentem in eo. Accedamus ergo & nos cum fiducia ad Thronum hunc gratiæ ejus, adoremus scabellum pedum ejus, & adoremus in loco, ubi steterunt pedes ejus.

II. TITVLVS.

DOmine, Dominus noster, quàm admirabile est nomen tuum in universa terra! JESUS, per quem Reges regnant, & potentes decernunt justitiam, Rex appellatur, & quidem à Regibus: nam & Magi, & Herodes olim, & nunc Pilatus titulum ei hunc dant; quem, cùm in propria veniret, habere à subditis non potuit, quia eum non receperunt. Duorum & trium, id est, quinque Regum testimonio factum est, ut notus olim tantùm in Judæa Deus, magnum nunc habeat nomen in universo mundo: ut sciatur, quoniam Domini est Regnum, qui ponet inimicos suos scabellum pedum suorum. Brevis est titulus: quia libri est, qui non est nisi unius Verbi. Pretiosus est, quia totus gemmeus: nam pentagrammaton JESUS, litteras habet tot vulneribus, velut gemmis, emptas. Nec novus illi est hic titulus, ut quem jam olim in femore scriptum sanguine suo in Circumcisione accepit. Post triumphalem cum palmis ingressum & acclamationem populorum, nondum consummati sunt dies octo; jam miserè flagellis te circumcisum video, legóque nomen tuum in Titulo, JESUS, quod vocatum est ab Angelo, priusquam in utero conciperetis. Sed patere paulisper, & sustine horam, in qua dominatur potestas tenebrarum. Jam jam adesse festinant tempora, quando omne genu flectetur in nomine tituli hujus: eritque nomen hoc tuum benedictum in sæculum.

Sententia in scriptis ferenda est, & causa debet inferri in sententia.

Ita Pilatus scripsit, & milites imposuerunt super caput JESU causam ipsius scriptam: quam nempe quantumvis accuratus Judex in eo nec reperit, nec reperire potuit. Nempe quorundam hic judicum stylus est, non-causam pro causa accipere. Vt ut sit, novum non est, ut nolentes veritatem de JESU dicant, quando nolunt volentes.

Et veritas in titulo, & ingens Privilegium JESU, testamentum condituri. Nam licèt Judex delicti reus sit, & territus hoc scripserit; non tamen aut veritati præjudicat terror scribentis, aut scribentis delictum tollere potest privilegium testantis. Mutari petunt Judæi scripturam Tituli. At Pilatus non corrupit tituli inscriptionem, & rectè: nam & ultima scriptura valet, & Judex sententiam suam mutare non potest.

Admovisti ergo capiti tuo ægro nomen tuum, ô JESU! & eo quasi galeâ usus, irato opposuisti cælo. Abire ut lubet, poteris è cruce ad Patrem, patentes habes ab hominibus litteras, è quibus, quàm egregiè opus tuum & cursum consummaveris, certò constet. Propugnaturus crucis in cathedra theses tuas, quo sit libera omnibus argumentandi voluntas & facultas, earum publicè proponis epitomen, dedicásque in Titulo Patri. Oppugnat ultimam partem Judæus, & quæstionem movet de Nomine, indignam, ad quam tu respondeas.

Cujus est hæc imago & superscriptio? introducantur Magi, Chaldæi, & aruspices, omnésque sapientes Babylonis. Quicunque legerit scripturam hanc, & interpretationem ejus manifestam fecerit, purpurâ vestietur, & torquem aureum habebit in collo, & magnus vocabitur in regno cælorum. Titulus iste positus est ignoto Deo, quem si cognovissent, nunquam Dominum gloriæ crucifixissent. Liber est JESUS, & liber vitæ, flagellis, coronâ, lanceâ, intus & foris scriptus, jámque sub crucis prælo sudans. Et liber hic præfert titulum ejus, de quo in capite libri scriptum est. Salvabitur omnis, qui inventus fuerit scriptus in libro hoc.

Celebre factum est nomen tuũ nimis, ô JESU! tenétque crucis hic Titulus Nomen, quod est super omne nomen. Scribæ tui sunt Reges: nam & Augustus te nascente tibi

tibi mundum universum descripsit; & Pilatus ita titulum tuum nequidquam ringentibus Judæis scripsit, ut corrumpere ampliùs tituli hujus inscriptionem nollet, diceretque: Quod scripsi, scripsi. Adjuva nos Deus salutaris noster, propter gloriam nominis tui: neque enim est aliud nomen sub cælo, in quo oporteat nos salvos fieri. Quis det mihi, ut sermones tituli hujus, celte sculpantur in silice cordis mei?

JESUS triginta argenteis sub hasta venditus pro more titulum exhibet. Coloratus ut sit, verè tamen titulus est sanctæ crucis in Hierusalem, & purpurati est. Ad caput ponitur, quia veri Pontificis lamina aurea est, in qua vox tetragrammaton JEHOVA opere cælatoris insculpta est. Inde etiam Regem arguo, qui non sit de hoc mundo, qui Regibus suis titulos ponere solet ad pedes. Afferte gloriam nomini ejus omnes Gentes: verè enim glorificatum est nomen ejus. Ad quid enim tres linguæ, nisi quòd Evangelij prædicatio debeatur Hebræo primùm & Græco, demùm & Romano, ideò ultimo, quia diutius Evangelium retenturo. Habuere sanè Hebræi sacerdotium & doctrinam, Græci industriam & sapientiam, Romani Imperium & Monarchiam. Hæc tria tres hæ gentes suâ quævis linguâ de Christo profitetur per judicem, & processu judiciali. Dicitur in titulo JESUS Theologus, quia JESUS; sapiens, quia Nazarenus; Rex, quia Romanus. Bone JESU! quæsivi nomen tuum, quod est mirabile; & in cruce, ubi non putabam, inveni. Erat enim nomen tuum ibi. Novi te itaque ex nomine: & si inveni gratiam coram te, protege me; quoniam cognovi nomen tuum: & propter nomen hoc tuum propitiare peccato meo; multum est enim. Ac ubi placuerit tibi peccatorum meorum remissionem scripto consignare, scribe, INRI. Beatus vir, cujus est nomen Domini spes ejus.

III. CLAVI.

Ecce compedes Joseph, quibus ligatus est, quando ferrum pertransijt animam ejus. Infame ferrum ad Freni & Galeæ honores evehi.

vehitur: erit enim in illa die, quod supra frenum equi est, Sanctum Domino omnipotenti: quando unum ex his clavis Constantinus caballi sui freno inseret, alterique galeæ suæ tribuet honores, succedente in plumæ levis locum gravi ferro. Quid est, quod Martyrum plerique aquam ignémque & omnia tormenta diaboli spreverint, soli ferro succumbentes; nisi quod ferro hic honor datus sit à clavis Christi, ut sine ferro mori non possent? JESUS denique, qui triumphat sic in Martyribus, ita tamen parcit Religiosis confessoribus, ut & illos sui imitatores esse velit, tribúsque votis, velut clavis ferreis, crucifixos, adhærere sibi; dum ferrea, id est, honoratâ morte vitam honoratam finiant.

IV. MALLEVS.

DEstruite Templum hoc, servi nequam, & architecti non meliores; & in triduo reædificabitur: nec sonus mallei exaudietur; sine quo tamen vos illud nec destruere potestis, monoculi Cyclopes, cæci, & duces cæcorum. Tubalcain, qui omne ferramentorum genus invenit, hos mallei usus non didicit, nec docuit. Qui ex Patre diabolo estis, quid mirum, si & opera ejus facitis? sed ô imperiti malleatores! in caput vestrum, & patris vestri diaboli cuditis, surdi & (sive lactis sive pomi dulcedine sopiti, quod vel Eva vel Iahel Femina dedit) sine sensu Vulcani. His malleis hi clavi vestra per tempora adacti, terræ vos figent, fixósque cogent sociare soporem cum morte, & morte æterna:

Prima primorum fidelium campana malleus fuit; ubi ubi repertus fecit campanæ officium. Quod Hieronymo fuit tuba, quod Petro Gallus, hoc omne pijs auribus fuit mallei sonus, ubi ubi perceptus. Et si de Maria sermo est, quid dubito, quin vox mallei innovaverit aures ejus & dolores aurium, quin & cordis, quod ictus mallei primus afflixit. Posuisti me, Domine, ut destruam útque ædificem, atque hos in usus tribuis mihi hunc malleum. Scio, quid faciam. Cor meum conteram ego, túque cor meum hoc malleo contritum & humiliatum Deus non despicies. Pone te Domine,

mine, ut signaculum, super cor meum, & cereum aliàs in vitia flecti, oppidò tamen durum in tuos usus. Hoc desidero, hoc ambio. Et quid est, quòd mallei ictus recuso, sine quibus sigilla nunquam bene imprimuntur?

V. CHRISTVS PROSTRATVS.

NUnquam tantum nefas & tam grande piaculum factum est in Israël. Sed confide, mi JESU! & noli timere: quin his fieri incipientibus leva caput tuum; quia appropinquavit redemptio tua & mea. Ter pro me humi prostratus in horto, ter in via, septimùm nunc & ultimùm in terram abjiceris. Sic térque quatérque prosternendus eras tu, ut erigerer semel. O JESU! quàm admirabile est nomen tuum in universa terra, ex quo prostrata est magnificentia tua super eam! prosterni ergo JESUM oportebat sub ligno crucis, quia tu prosternebaris meretrix Synagoga sub omni ligno frondoso. Manum postulatus, ô JESU! dexteram porrexisti militi, olim ad sinistram non staturo, si non sinistrè eam prehendisset. Sed quia docuisti non resistere malo, tacuisti; & dolore presso, sicut ovis ad occisionem ducta, obmutuïsti, in hæc sola verba aperiens os tuum, quæ nescientem, quid faceret, excusarent Patri. Poterat jam Adam lætari, extensâ ad lignum Christi dexterâ abjectum esse malum, & mali malum, quod ipse extensa ad lignum dexterâ ad se suósque attraxerat.

Ecce Samaritanum, qui incidit in latrones! quomodo autem incidisti, mi JESU! si ipse venisti tam longâ viâ, vocare peccatores, atque in hoc ipso mihi quoque spem dedisti æternæ vitæ? Brachio extento trahe me post te, ô Domine, & ad te, cùm exaltatus fueris à terrâ. Præcipitaverunt heri Jesum impij scurræ è ponte; hodie eundem cum ponte crucis exaltant, ut cælum terræ jungat Pontifex, qui facit utraq; unum, nobísque cælum dat, nósque cælo.

STATIO IV.

LOCVS FIXÆ CRVCIS.

HIC denique, ut desiderio lectoris plenè satisfaciam, subjicienda est descriptio templi S. Crucis, sive S. Sepulchri, quod à S. Helena ædificatum in hodiernum diem stat, quódque tam Sepulcrum quàm montem Calvariæ includit. Hic tria sunt dicenda.

1. De fabrica.

2. De nationibus, quæ in hoc templo Deo serviunt.

3. De stationibus templi.

I. TEMPLI FABRICA.

EST ad meridiem, id est, ex urbe à parte meridionali intratur in templum. Extrà est spatium lapidibus politis stratum quadratum, cujus longitudinis latus ad quadraginta passus extenditur. Ad angulum unum hujus quadrati spatij sunt carceres Turcarum publici. Frontispicium templi sex columnis marmoreis constat, habétque architecturam nobilissimam. Ad sinistrâ frontispicij est turris, in qua olim erant campanæ, ornata columnis marmoreis & porphyreticis, cum fenestris amplis. Sangiacus Gubernator non tantùm semper claves templi habet penes se, sed magno sigillo officij sui semper sigillatum tenet templum, ne quis intret.

Templum in Forma crucis longum est passus communes circiter ducentos, à Cappella scilicet S. Crucis, quæ est ad Orientem usque ad oratorium Nestorianorũ, quod est ad Occidentem. Latitudo templi est centum & decem passuum communium circiter, id est, à grandi porta meridionali usque ad Cappellam Latinorum, quæ est ad Aquilonem. Forma templi constat duobus circulis seu duabus cupulis: una, quæ ex lapide est, tegit montem Calvariæ; altera, quæ è trabibus ligneis est, tegit S. Sepulchrum: medium templi inter has duas cupulas est Chorus templi. Cupula, quæ tegit S. Sepulchrum, aperta est, uti Romæ cupula S. Mariæ Rotundæ.

tundæ, propter trecentas triginta ſex lampades diu noctúque ardentes. Tectum eſt plumbeum. Extra templum tria memorabilia loca viſitantur, ſúntque templo valde vicina. Nempe in ipſa rupe Calvariæ.

1. Locus, in quo repertus eſt aries, qui pro Iſaaco ſacrificatus eſt.

2. Locus, ubi S. Abraham extendit manum ſuam ſupra puerum, ut illum Domino immolaret.

3. Locus, ubi occurrens S. Abrahamo victori S. Melchiſedech obtulit ſacrificium Panis & Vini. Vbi nota, in loco arietis ſtare etiamnum oleam veterem, in cujus ramis hæſiſſe arietem, traditio eſt. (Sabac Hebraicum ſignificat tam vepres, quàm arborem. Sic Abenezra arborem; David Kimhi, ramū; vulgata, vepres; Aquila, vepretum; D. Ambroſius virgultum, interpretantur) Nota quoque, in loco Abrahami in marmore pavimenti inciſum eſſe Abrahamum cum gladio ſuper Filium Iſaac, cum Angelo prohibente. Nota denique de loco Melchiſedechi: hîc factum ſacrificium Panis & Vini, etiamſi aliquantulùm antè obviam ſuerit Abrahamo. Jam Templum ingrediamur.

II. TEMPLI NATIONES.

SErviunt hodie Templo S. Sepulchri & Golgothano octo Nationes.

1. Latini Romani, qui Catholici vocantur ſoli inter omnes: quam Nationem ſoli Patres Franciſcani repræſentant, jam ultra ducentos quinquaginta annos.

2. Græci, qui chorum templi habent, ubi pendet corona ænea imperialis grandis, è qua pendent ducentæ lampades, quas non computavi inter lampades trecentas triginta ſex ſupradictas. Sub corona in pavimento eſt parvus circulus marmoreus, ubi credunt ipſi eſſe medium terræ. In choro ſunt quatuor ſedes quatuor Patriarcharum Eccleſiæ Græcæ, Hieroſolymitani, Antiocheni, Alexandrini, Conſtantinopolitani. Celebrant linguâ Græcâ litterali antiquâ & bonâ, quam vulgus hodie non intelligit.

3. Abyſſini Æthiopes.

4. Coptitæ Ægyptij naturales.

5. Armeni vicini Perſiæ.

6. Nestoriani vel Iacobitæ ex Babylone, Chaldæá, Syriâ.

7. Georgiani à Mari Caspio.

8. Maronitæ è monte Libano, qui soli cum Catholicis & Armenia inferiore Papam agnoscunt esse Caput Ecclesiæ. Franciscani Patres seu Catholici (omnes hæ nationes habitant diu noctúque in ipso templo, sic ut exire non possint, nisi cum licentia Turcarum) Missam dicunt ante meridiem: reliquæ Nationes omnes incipiunt Missam horâ tertiâ post meridiem, finiúntque horâ quintâ vel sextâ. PP. Franciscani incipiunt Matutinum cantare unâ horâ ante mediam noctem: Græci horâ primâ, Georgiani horâ tertiâ, Armeni horâ quartâ, Nestoriani horâ quintâ, Coptitæ horâ sextâ post mediam noctem.

III. TEMPLI STATIONES.

POst Completorium quotidie PP. Franciscani (& peregrini cum ipsis, si adsunt) visitant præcipuas stationes S. Templi.

1. Est Cappella B. V. de Apparitione, ubi Christus post Resurrectionem B. V. apparuit, éstque Catholicorum. In hac ardent sex lampades, quinque ante altare SS. Sacramenti, una in medio Sacelli, ubi fuit S. Crux posita, postquam inventa est. Alij putant, esse locum, ubi Christus B. V. apparuit, id est, ubi ipsa B. V. stetit. Est hîc Columna Improperij & pars S. Crucis.

2. Carcer Christi, de quo suprà; & est Græcorum. Intus tres, extrà duæ ardent lampades.

3. Cappella S. Longini: est Abyssinorum: ardet intus una lampas. Non visitatur.

4. Cappella Divisionis vestimentorum, seu locus ludi: est Armenorum. Ardent intus lampades tres.

5. Cappella Inventionis S. Crucis: est Catholicorum. (partem tamen habent Græci) ardent in ea pro Catholicis lampades quinque, pro Græcis quatuor. Adest hîc sedes marmorea, in qua sedit S. Helena.

6. Cappella S. Helenæ: est Armenorum. Ardent intus lampades duodecim.

7. Cappella improperiorũ Christi: Est Abyssinorum. Ardent ibi tres lampades.

8. Cappella crucifixionis domini:

ni: est Catholicorum. Ardent lampades triginta quatuor. Mons Calvariæ est altus pedes sexaginta, si mensura incipiat infra pavimentum Ecclesiæ. Infrà in circuitu habet pedes circiter quadringentos. Pes montis terminatur in fossâ urbis: saltem non est inferior. Rupes durissima fissa in duas partes à jugo usque ad pedem per totum. Summitas, id est, ipse locus crucifixionis Porphyretico, Jaspide, & Marmore pulcherrimè strata est. Circum circà communiter ardent lampades septuaginta quatuor. Ad dexteram locus est, ubi tempore crucifixionis stetit B. V.

9. Statio est. In ipso loco crucis est erectum altare, in cujus medio est ipsum foramen plantatæ crucis rotundum, profundum cubito uno, habétque in diametro pedem dimidium, ornatum nunc annulo argenteo palmum unum largo. Crux boni Latronis ad septentrionem à Cruce Christi quatuor pedes distabat: crux mali latronis totidem. Nunc tamen hæc distat pedes sex propter scissuram, quæ duorum ferè pedum est inter hujus crucem & crucem Christi. Per quam scissuram, quæ infrà in Cappella Inventionis jam est trium pedum, credibile est, animam blasphemi descendisse ad inferos. Hîc locus seu altare Græcorum est. Ardent ibi lampades quadraginta.

10. Sacellum Adæ. In quo loco creditur fuisse sepultus Adam. In hoc ardent lampades tres: est Græcorum; sed non visitatur.

11. Lapis Unctionis: est Catholicorum. Ardent super eum lampades octo. Hîc Christus unctus est & præparatus ad sepulturam.

12. Locus, ubi stabant noti Christi à longe, dum crucifigeretur: est Armenorum. Ardent super eum lampades tres.

13. S. Sepulchrum: est Catholicorum. Ad ipsum Sepulchrum intra antrum ardent lampades quadraginta quatuor. In Cappella Angeli, octodecim; exteriùs circum circà, novendecim: Catholici habent lampades triginta; aliæ sunt aliarum nationum.

14. Locus, ubi JESUS Magdalenæ apparuit habitu hortulani: est Catholicorum. Una lampas pendet in loco seu vestigio Christi, altera in vestigio Magdalenæ. NB. Caput S. Mariæ Magdalenæ a la Baume in Gallia habet in fronte

Y 3 par-

partem carnis incorruptæ: ibi eam Christus digito tangens removit à se, dicens: Noli me tangere. Hinc iterum reditur ad Cappellam Apparitionis, ubi PP. Franciscani suas Horas canunt. Atque hæc sufficiant. Qui magis particularia volet, adeat ipsos auctores, quos initio operis in præfatione citavi. Priusquam hinc abeamus, cum Matre dolorosa Quadraginta nobis consideranda sunt.

1. Verba B. V.
2. Revelatio B. V.
3. Crucifixio.
4. Verba B. V.
5. Christus in cruce.
6. Christus inter latrones.
7. Latro bonus.
8. Latro malus.
9. Verba B. V.
10. Opprobria.
11. Septem Verba.
12. Pater dimitte.
13. Sitio.
14. Hodie mecum.
15. Verba B. V.
16. Deus meus.
17. Ecce Filius tuus.
18. Ecce Mater tua.
19. Consummatum est.
20. Pater in manus.
21. Clamans.
22. Inclinatum Caput.
23. Verba B. V.
24. Exspiravit.
25. Testamentum Christi.
26. Magdalena.
27. Verba B. V.
28. Prodigia.
29. Velum Templi.
30. Tenebræ.
31. Monumenta aperta.
32. Petræ scissæ.
33. Terræ motus.
34. Verba B. V.
35. Longinus.
36. Latus apertum.
37. Sanguis lateris.
38. Aqua lateris.
39. Lancea.
40. Peccator.

I. VERBA B. V.

S. Brig. l. 1. c. 10.

Postea rapuerunt eum tortores, & extenderunt in cruce. Primò dexteram manum ejus affigentes stipiti, qui pro clavis perforatus erat, & manum ipsam ex ea parte perforabant, qua os solidius erat, Inde

Inde trahentes cum fune aliam manum ejus ad ſtipitem, eam ſimili modo affixerunt. Deinde dextrum pedem crucifixerunt, & ſuper hunc ſiniſtrum duobus clavis, ita ut omnes venæ & nervi extenderentur. Quo facto aptaverunt coronam de ſpinis capiti ejus: quæ tam vehementer reverendum caput filii mei pupugit, ut ſanguine fluente replerentur oculi ejus, obſtruerentur aures, & barba tota decurrente ſanguine deturparetur. l. c. 10. Cùm primus clavus infigeretur ei, ego ad primum ictum conturbata corrui quaſi moritura, oculis obſcuratis, manibus trementibus, pedibus nutantibus: & non reſpexi præ amaritudine, antequam ex toto affixus erat. l. 1. c. 37. Ipſe moriebatur ſic propter inimicos ſuos, ſicut propter me & amicos ejus: ſed quando inimici ejus crucifixerunt eum, quatuor ei fecerunt.

1. Coronaverunt eum Spinis.

2. Manus & pedes perforaverunt.

3. Propinaverunt ei fel.

4. Pupugerunt latus ejus. Sed nunc conqueror, quia filius meus ab inimicis ſuis, qui nunc ſunt in mundo, amariùs crucifigitur, quàm tunc Judæi crucifixerunt eum. Nam licèt Deitas impaſſibilis ſit, nec mori poſſit; tamen cum proprijs vitijs crucifigunt eum. Sicut enim aliquis homo imagini alicujus inimici ſui contumeliam & læſionem faceret, licèt imago non ſentiret illata; tamen propter voluntatem malam lædendi, læſor quaſi pro opere argueretur & dijudicaretur: ſic eorum vitia, quibus ſpiritualiter crucifigunt Filium meum, abominabiliora & graviora ſunt ei, quàm illorum, qui crucifixerunt eum in corpore. Iſti autem pejores ſunt crucifixoribus, quia Judæi fecerunt propter invidiam, & quia neſciebant eum eſſe Deum. Iſti autem ſciunt, eum eſſe Deum, & ex malitia ſua & præſumptione, causâ propriæ cupiditatis, crucifigunt eum amariùs ſpiritualiter, quàm illi carnaliter: quia iſti redempti ſunt; illi nondum redempti erant. Ergo ſpōſa, obedi filio meo, quia ipſe ſicut eſt miſericors, ſic etiam eſt juſtus.

l. 4. c. 70. Pervento igitur ad locum crucifixionis: & ecce malleus & quatuor clavi acuti in promptu ſunt: & mox juſſus veſtes ponit, parvúmque linteum verendis prætexuit; quod & ipſe inde quaſi con-

consolatus adjuvit ad ligandum. Erat autem crux fixa, & brachia ejus elevata, ita ut nodus crucis inter scapulas esset, nec ullum capiti reclinatorium crux præbebat, & tabula tituli utrique brachio super caput eminenti affixa erat. Ad crucem igitur jussus dorsum vertit. Et manum postulatus, primò dexteram extendit: & inde alia manus ad reliquum cornu non attingens distenditur. Et pedes similiter ad foramina sua distenduntur, cancellatíque & quasi infrà à tibijs distincti, duobus clavis stipitem per solidum os, sicut & manus erant, crucifiguntur. Ad primum igitur ictum ferientis mallei, ego ex dolore in extasi fio, & evigilans filium meum confixum video, colloquentes etiam homines alterum ad alterum audio: quid hic fecit? furtum? rapinam? vel mendacium? alijs respondentibus, quod mendax esset. Et tunc corona spinea capiti ejus arctissimè imposita fuit, quæ ad medium frontis descendebat, plurimis rivis sanguinis, ex aculeis infixis decurrentibus in faciem ejus, & crines & oculos & barbam replentibus; ut quasi nihil nisi sanguis totum videretur. Nec ipse me astantem cruci videre potuit, nisi sanguine expresso per ciliorum compressionem.

II. REVELATIO.

S. Brig. l. 7. c. 15.

AD MontemCalvariæ cùm essem (inquit de se S. Brigitta.) mœstissima plorans, vidiDominum meum nudum & flagellatum ductum per Judæos ad crucifigendum, qui diligenter ab eis custodiebatur. Vidi quoque tunc foramen quoddam excisum in monte, & crucifixores in circuitu paratos ad operandum crudelitatem. (Dominus autem conversus ad me dixit mihi: attende tu, quia in isto foramine Petræ infixus fuit pes crucis meæ, temporePassionis) & statim vidi, qualiter ibi crux ejus à Judæis figebatur, & firmabatur fortiter in foramine Petræ montis, cum lignis confixis cum malleo validissimè circumquaque, ut crux solidiùs staret, ne caderet. Cùm igitur crux ita solidè firmata esset, ibidem statim adaptabantur tabulæ ligneæ in

in circuitu ſtipitis crucis per modum graduum uſque ad locum, ubi pedes ejus crucifigi debebant; ut poſſent per illos gradus tabularum, tam ipſe quàm crucifixores aſcendere, & ſuper tabulas illas aptiore modo ſtare ad crucifigendum eum. Poſt hoc autem aſcenderunt ipſi per illos gradus, ducentes eum cum irriſione & vituperio maximo, qui gratanter aſcendens, velut Agnus manſvetus ductus ad immolandum, cùm eſſet jam ſuper tabulas illas, non coactus, ſed ſtatim voluntariè extendit brachium ſuum, & apertâ ſuâ dexterâ manu poſuit eam in cruce, quam illi ſævi tortores immaniter crucifixerunt: perforabant eam clavo per illam partem, qua os ſolidius erat. Tunc etiam trahentes cum fune vehementer manum ejus ſiniſtram, cruci affixerunt eam ſimili modo. Deinde extenſo corpore ultra modum junctos pedes affixerunt in cruce duobus clavis, & in tantum extenderunt illa glorioſa membra in cruce vehementer, quòd quaſi omnes venæ & nerui ejus rumpebantur. Quo facto coronam de ſpinis, quam depoſuerant de capite ejus, cùm crucifigeretur, iterum impoſuerunt, & aptaverunt capiti ſuo ſacratiſſimo: quæ tam fortiter pupugit reverendum caput ejus, quòd oculi ſui repleti fuerunt illico fluente ſanguine. Aures quoque obſtruebantur, & facies & barba quaſi tegebantur, & intincta erant illo roſeo ſanguine: & ſtatim illi crucifixores & milites amoverunt velociter omnes tabulas illas, quæ adhærebant cruci: & tunc remanſit crux ſola & alta, & Dominus meus crucifixus in illâ.

III. CRVCIFIXIO.

SUrgens itaque JESUS ponit veſtimenta ſua, & cùm accepiſſet linteum præcinxit ſe, ut præcinctus in cruce faceret opus Redemptionis, qui in creatione, & initio mundi etiam lutum tractans, non fuit præcinctus in hominis formatione.

Jámque militum unus dexteram JESU, quæ omnia bene fecit, quæque & ſurdos fecit audire & mutos loqui, foderat (qui utinam fodere non valuiſſet!) clavúmque pluribus ictibus per apertam volam intruſerat ligno: neúe rediret, conum incurua-

curvaverat, cùm experimento artis suæ inflatus, si Rex, inquit, Israël est, descendat nunc de cruce & credimus ei. Quod & alij, quibus ingenium scurræ placuit, cum risu iterum iterúmque inculcârunt.

Viri illi, ô JESU! duri sunt tibi, & faciunt, quod non licet; & nesciunt tamen, nec quid petant, nec quid faciant. Rogo te, mi JESU! ne statuas illis hoc peccatum; quin & ora pro ipsis Patrem, ut nescientibus & illis & mihi ignoscat. Cùm non sim ex illis, qui carnem suam crucifixerunt cum vitijs & concupiscentijs suis; metuo, ne sim unus ex illis, qui te sibi quotidie crucifigunt.

Confige, ô JESU timore tuo carnes meas, qui clavis pro me confixus es cruci ab inimicis tuis, quos tu funibus Charitatis tenes. Judæus sit, & infideli deterior, qui te credat clavis in cruce, ne descenderes, retentũ; cujus viribus & virtute suos è terra extraxit Samson, nõ alijs funibus usus, quàm capillis. Agglutinavit te cruci sanguis; fixit te tenuítque amor. Aliud igitur sit necesse est, cur sine ferro hinc abire non volueris. Crediderim ego, clavos hos claves cæli esse, quibus aperis, & nemo claudit; claudis, & nemo aperit. An fortè, postquam mores & vita duello conflixere mirando, oportebat in victoriæ tesseram retinere ferrum? usus certè eorum erit contra impios: nam fabricatos in officina Vulcani mendax antiquitas fulminum & sagittarum ritu manibus ingessit fabulosi Jovis, quos positos esse, credere debebat in tuis. Sed, ô bone JESU! si, quoties peccant homines, hæc fulmina misisses, jam dudum & inermem & sine ferro te viderem. Sed mitiora de te mihi persuades, mitissime agne! spontanea victima his clavis ex præcepto legis ad altare ligâris. Duos in manibus clavos numero, duos in manibus annulos video sponsalitios, tam justis quàm pro ijs, quos vocare venisti ad nuptias agni, peccatoribus: totidem etiam in manibus tuis pennas calamósve video, quibus tu vitæ mortísque sententiam scribas nunquam delendam: quia quod scribis, sanguine tuo pretiosissimo scribis, doctus Scriba.

Hoc ferro percussum (quod ex silice est) cor meum, scintillas dabit amoris reciproci, ita ut ardeat, aliorúmque corda ad amandum

JE-

JESUM accendere possit: etenim quod non ardet, non accendit. Et quia Agni cruore madefactum hoc ferrum, virtutem molliendi habet; dabis mihi, ô JESU! ut cor meum sit carneum, quod paulò antè erat lapideum.

Funambulum ubi egero in tramite crucis; ne vacillem, ne labar, ne cadam, ne præcipiter, his ferreis ponderibus retinebo me in æquilibrio, & dirigam. Per mundi mare, ut Scyllam inter & Charybdim securus transeam, ne vorticibus absorbear, ne fluctibus hauriar, ne incurram in scopulos, pro acu nauticâ servient hi clavi, quando à sanguine tuo virtutem magnetis imbiberunt. Præterit figura mundi hujus, quin & cælum & terra transibunt, imò jam omnes seriùs aut citiùs metam properamus ad unam magnis passibus, vel aurigæ, vel cursores in mundi stadio facti, imò etiam spectaculum Deo, Angelis & hominibus. Rota nativitatis nostræ & felicitatis nimiùm quantùm volubilis in voraginem nos præcipitat. Omnia hæc his clavis figenda & detinenda sunt. Sed absque his omnibus magna clavorum JESU est Utilitas, quam me docuit Imperator. Nam cùm mihi concertatio erit adversùs carnem & sanguinem, frenum mihi dabunt & galeam. Hac galea caput defendam, ne fiam sicut equus & mulus, quibus non est intellectus. Hoc freno linguam, quam nemo hominum domare potest, domabo; & maxillam, quâ alapam accepero, felici gyro vertam, ut & alteram præbere queam, probémque me Christi equitem, quem gratia Dei portat: sícque in hoc camo & freno maxillas meas constringens, post te curram, mi JESU! tibíque demum his clavis fixus & confixus dicam: mihi adhærere JESU meo, bonum est.

Ascendente te in naviculam Petri, secuti sunt te discipuli tui: ascendente te in naviculam crucis seu Arcam, qua mundus salvaretur, relicto te discipuli tui fugerunt ad unum omnes. Cùm illam ascenderes, motus magnus factus est in mari: cùm hanc ascenderes, Petræ scissæ sunt, & mota est terra, & monumenta aperta sunt.

Utrobique tui clamârunt: Salva nos, perimus: utrobique timidos & modicæ fidei reprehendisti: utrobique ventis & mari imperâsti, &

facta est mirantibus omnibus tranquillitas magna, quâ, qui tui sunt, etiamnum fruuntur. Foderunt manus tuas & pedes tuos, ita ut dinumerare possent omnia ossa tua. O qui transitis per viam, euntes renunciate Ioanni (non Matri) quæ vidistis & audistis, ut Matrem aliorsum abducat, ne audiat percussionem clavorum.

Erigit se in altum JESUS (jamque vitis vera ulmo alligata omnibus fit conspicua) deorsum nec casurus nec descensurus, sive dæmon suadeat tentator, sive tentatoris ministri, Judæi. Sic eum confundit, qui, cùm ascendere conaretur, decidit.

Verè, mi JESU! ascensus hic tuus purpureus est, & media Charitate constratus. Ecce nunc nobiscum es usque ad consummationem sæculi fixus cruci. Felices nos, si & vota nostra tibi alligare sciamus, ne fluctuent.

In tempestate mundi & diluvio peccatorum naufragus adhæres exili ligno, & in eo brachia quasi nataturus extendis, omnia, quæ tibi Pater in manus dedit, attracturus & salvaturus. Adverto hominum avaritiam: nam ne quid JESUS ex ijs, quæ mundi sunt, secum asportaret, manum stringere adacto prohibent clavo.

Hic est, ni fallor, excessus, de quo Moysi & Eliæ tanta sermonum materies fuit in monte Thabor. Verè amoris excessus, quòd supplicio tam lento támque violento pro me voluerit facere satis, cùm mille alijs modis potuisset.

Nihil in JESU est, quod non crucietur. Cruciatur fama per blasphemias, honor per irrisiones, pudor torquetur per denudationem, anima per tristitiam, corpus per vulnera. Verè nunc positus in signum, cui contradicatur, & in gnomonem horologij divini, quo mundus designata sibi tempora salutis agnoscat. Fiat manus tua, ô JESU! ut salvet me. Confige timore tuo carnes meas, ut amem te: collige pedes tuos super lectulum tuum, ut moriaris pro me.

IV. VERBA B. V.

S. Brig. l. 1. c. 10.

SUrgens verò vidi filium meum miserabiliter pendentem, & ego Mater ejus mœstissima, undique consternata præ dolore vix stare potui.

B. V.

B. Virginis Revelatio. S. Brigitta l. 7. c. 15. Vidi tunc ejus Matrem mœstissimam, quasi trementem & semivivam, quam consolabantur Ioannes & aliæ sorores ejus, quæ tunc stabant non longè à Cruce ad ejus partem dexteram. Dolor igitur novus compassionis illius Sanctissimæ Matris in tantum transfixit me, quòd quasi sentiebam, quòd cor meum pertransibat quidam gladius acutus importabilis amaritudinis. Surgens tandem illa Mater dolorosa, quasi exinanita corpore, respexit ad filium suum, & sic stabat sustentata à sororibus tota stupore suspensa, & velut mortua vivens, gladio doloris transfixa. Quam cùm Filius respexisset, & alios amicos plorantes, voce flebili commendabat eam Ioanni: & bene cernebatur in gestu ejus & voce, quòd cor ejus ex compassione Matris penetrabatur acutissimâ sagittâ doloris immensi. Tunc autem oculi ejus amabiles & decori apparebant semimortui: os ejus erat apertum & sanguinolentum, vultus pallidus & submersus, totúsque lividus & intinctus sanguine. Corpus quoque totum erat quasi lividum & pallidum & languidum valde, ex continuo fluxu decurrentis sanguinis. Cutis etiam & caro illa virginea sanctissimi corporis ejus ita delicata & tenera erat, quòd ex modicâ percussione illatâ signum lividum exteriùs apparebat. Aliquando verò conabatur ipse extensiones facere in cruce, præ amaritudine nimia, quam sentiebat, intensi doloris acutissimi. Nam quandoque dolor de membris ejus & venis perforatis ascendebat ad cor, & vexabat eũ crudeliter intenso Martyrio: & sic Mors ejus prolongabatur & dilatabatur cum tormento gravi, & ingenti amaritudine. Tunc igitur ille anxius præ nimia doloris angustia, & vicinus jam morti, ad Patrem clamavit altâ voce & flebili dicens: ô Pater! quare dereliquisti me? Habebat & tunc labia pallida, & linguam sanguinolentam: ventrem submissum cohęrentem dorso, ac si nulla habuisset intus viscera. Secundò quoque clamavit, iterum cum anxio dolore maximo. O Pater! in manus tuas commendo spiritum meum. Et tunc caput erigens aliquantulùm, statim inclinavit se, & sic emisit Spiritum. Quæ tunc mater ejus videns tota contremuit, præ immensa

mensa amaritudine, volens cadere in terram, nisi quòd sustentabatur ab alijs mulieribus. In illa igitur hora manus illius aliquantulùm se retraxerunt à loco perforationis clavorum, præ nimio pondere corporis; & sic corpus ejus quasi sustentabatur à clavis, quibus pedes confixi erant. Digiti autem & manus & brachia magis jam extensa erant quàm antè. Spatulæ verò & dorsum ejus quasi stringebatur ad crucem. Tunc denique circumstantes Judæi irridentes clamabant contra matrem ejus, multa dicentes. Alij namque dicebant: Maria! jam mortuus est filius tuus. Alij verò dicebant alia verba irrisoria.

V. CHRISTVS IN CRVCE.

CUM ergo crucifixus esset JESUS in Hierusalem Judæ, in diebus Herodis Regis; ubi sunt Magi, qui veniant ab Oriente Hierosolymam dicentes, ubi est qui natus est (ante triginta tres annos) Rex Judæorum? viderent in cruce, quem olim repererunt in præsepio, & eundum esse intelligerent ex titulo. Viderent à filio Herode spretum, quem olim pater timuisset; turbatum tamen æquè hunc atque illum cum tota Hierosolyma, mirarentur. Viderent etiam in eadem hac causa congregatos & conquirentes inter se omnes principes sacerdotum & Scribas populi, & sciscitantes, ubi Christus moreretur; nec ampliùs sagaces Magi vel Judæi Bethlehem præferrent Hierosolymæ. Ex te enim, ex te, ô Hierosolyma! exijt hodie Dux & Rex, qui regat populum Israël, qui olim per Bethlehem intraverat, ideóque tu, non illa, major es in terra Juda: nec ille ideò minor, quòd ascendens de Bethlehem Hierosolymam inciderit in latrones, in quorum medio nunc pendet, & expectat tuam salutem.

Antiquaturus Deus decreti Chirographum, quod erat contra nos, ut de ligno vitæ tutò comedere homini liceat, eum illi fructum appendit, ex quo nisi me nutriam, moriar. Quod Deus conjunxit, ô homo! ne separes. Affixa salus tua cruci est. Salutem sine cruce ne spera. Nunc exaltatus à terra, omnia, ut spero, trahes ad teipsum: Petra namque es, & magnes cordium. Jam olim sciebant, te regnaturum

turum à ligno Ægypti arbores: hinc vertice in terram uſque curvato, prono obſequio te ſunt reveritæ. Non ſic homines, quorum ſi qui coram te capita movent, non tamen inclinant. adeò verum eſt, nullam arborem flecti, quæ olim in virgulto curvata non ſit. O ut viderem homines iſtos, ſicut arbores illas, ambulantes!

Regnavit olim à ligno Paradiſi dæmon; ecce nunc regnat à ligno Deus. Et licet Chriſti regnum de hoc mundo non ſit; expaſſis tamen in cruce manibus Univerſum, cujus Dominium nunc capit, metitur. Heres Univerſorum tantam obtinuit hereditatem, quantam manus ejus à fine ad finem pertingentes capere poſſunt. Jámque diſponit omnia ſuaviter, & ſi opus eſt, in manu potenti & brachio extento ſalutem noſtram operatur, in medio terræ; nunc enim, ſi unquam Deus tuus in medio tui eſt, ô munde vix digne, ut ſcabellum pedum ejus ſis, qui è cruce pendens pendentem à ſe monarchiam gubernat. Ab humero ſurſum, ut vides, omnibus alijs regibus eminet: & adhuc dubitant Filij Belial, an ſalvare nos poſſit iſte? Rex Iſraël eſt, & Dominus Dominantium. Hæc femoris inſcriptio eſt. Si oculos elevas, videbis in capite diademata multa. Hinc mundi reges non niſi ejus proreges ſunt, & reges ſubalterni, qui omnes victorias ſuas cruci & ei, qui è cruce pependit, debent. Honor hic jam olim illi non debitus tantùm, ſed & exhibitus, cùm fratribus ſuis velut per ſomnium narraret, ſe in manipulo crucis exaltatum, omnia ad ſe tracturum, alter Joſeph: honorem ideo ſibi debitum non à Matre tantùm, ſed & à Patre, ad cujus dextram ſedet, accepit.

O Hieroſolymitani, quid exiſtis in montem videre? hominem mollibus veſtitum? nudus eſt. Arundinem vento agitatam? clavis affixus eſt cruci. Rex eſt, & quidem pacificus: licèt principem hujus mundi, illegitimè dominantem, eijciat foras, & in ſua inauguratione ſanguine hoſtis primordia regni cruentet.

Noſter Fidejuſſor & obſes eſt, luit in bonis & corpore, quæ nos debebamus. Tanquam latro fictus inter veros latrones, quæ non rapuit, exolvit. Judex eſt in tribunali crucis, jus dicit mundo. Synago-

nagogam, dæmonem, mundi fastum, carnis illecebras, & mortem ipsam, & judicantem se Pilatum damnat; latronem absolvit, & regno donat. Ex reo Rex factus, patibulum mutat in tribunal, verè justus, verè mediator; ut qui clavis fixus, nec ad dexteram nec ad sinistram declinare queat.

Botrus est terræ promissionis, vecte crucis antè à Veteri, retrò à Novo Testamento portatus. In torculari crucis calcatur, nobísque in Eucharistia propinatur, verè vinum cor hominis lætificans. Sol est in Zodiaco crucis, à motu suspensus, & stare jussus; ne nos dies deficiat, vincendis & debellandis hostibus necessaria.

Fili hominis! ecce speculatorem dedit te domui Israël Pater tuus. Despiciens è specula crucis bene cognoscis, qui sint tui; quando oculi tui æquè contemplantur bonos & malos. Magnetis ritu aspectu trahis, quem vis; quem non vis, aversus repellis. Imò & advocatum agis & interpretem apud Patrem: vel, ut meliùs loquar, Pontifex es stans inter vivos & mortuos, facísque, ne mors ultrà grassetur. Omnia tibi dedit Pater in manus, omnémque plenitudinem in te posuit. Tabernaculum dejectum ab Adamo in Paradiso, tu erigis in cruce: ibi sacrum Pontificale facis, indulgentias plenarias concedis, populo benedicis, præbendas in Ecclesia triumphante concedis, amplissimam benedictionem Ecclesiæ largiris, rebellem excommunicas Synagogam, discordem mundum concordas, harmoniam cælestem redintegras, implésque ruinas.

O bone JESU! an occursus hic tuus bonus est, quòd cum baculo venias ad nos? is si de fraxino est, serpentes (ut promisisti) tollet, morsibúsque medebitur: quia crux est morsus inferni. Si de salice est, aquam monstrabit: si de corylo, aurum & thesauros. Si per traducem de virga Moysis est, in mari rubro viam nobis faciet sine impedimento; & quando percutiet petram, fluent aquæ, & torrentes inundabunt; ut, quod jam ab initio mundi optaveras, terra appareat arida. Si de trunco crux tua est, unde David suum accepit baculum, pro trophæo devicti hostis serviet. Quin etiam si de virgis Jacob decorticatis una sit, varios de te conceptus dabit, nostro cum lucro.

Denique

Denique si baculus hic crucis, quod opinor, baculus pastoris est, & quidem boni; causa non est, cur eum horreamus tanquam virgam furoris tui: ut qui dirigere soleat, non terrere; gubernare, non ferire. Quidquid baculus hic sit, mi JESU! sine te nobis nihil proderit. Etenim ut baculus Elisæi vires capiebat in manibus Elisæi, quas perderet in manibus Giezi: ita quidquid virium in fragili & contempto ligno crucis agnoscimus, à te tuóque contactu profectum credimus.

O Pater æterne! ecce filium tuum in crucis nidulo moriturum. Respice humilia in cælo & in terra. Respice in eum, qui in cruce patitur; & in nos, pro quibus patitur. Non recedant ab oculis tuis cicatrices vulnerum ejus, nec obliviscaris satisfactionum, quas pro nobis pendit, qui in cruce pependit. Vide redemptionis supplicium, & dimitte redemptis peccatum. Et quamvis à planta pedis usque ad verticem capitis non sit in eo sanitas, ut qui sit factus opprobrium hominum, abiectio plebis, à Deo ipso percussus, leprosus: Dicere tamen in cruce potest: Ego sum, qui sum, non minùs Deus in Calvariæ cruce, quàm in Cæli luce.

VI. CHRISTVS INTER LATRONES.

LOcum virtutis occupavit JESUS & nascens & moriens, & olim & nunc nocte media, sed meridiana inter feras medius, nisi quòd illæ cicures fuerint, hæ feroces. Odiosum, ô JESU! fit nomen tuum. Amicus peccatorum diceris; & contubernium habes perenne cum miseris, cum felicibus vix ullum. Inter peccatores mori voluisti, & ultima miscere cum illis colloquia; ut amicum peccatorum te probares. Non poterat reperire locum meliorem Centrum Humanitatis, quàm in medio bestiarum; Centrum sapientiæ, quàm in medio Doctorum; Centrum Scripturarum, quàm in medio Prophetarum; Centrum delitiarum, quàm in medio cordium; Centrum doctrinæ, quàm in medio discipulorum; Centrum humilitatis, quàm in medio latronum. Quid quòd non raró mitem inter & feram repertus es animam. Nam cùm jejunares, inter Angelos & Dæmonem:

cùm ſudares, inter diſcipulos & proditorem: cùm ſpirares ultimùm, bonum inter malúmque latronem, qui te quærunt, reperiunt. Nempe ut olim inter paſtores Agnus Dei natus; ita nunc deprehenſus inter latrones paſtor, præis, quò miſſurus es diſcipulos tuos, oves inter lupos. Quòd, ô anima mea! unus ex his aſſumatur, alter relinquatur, ne mirare. Mos Dei eſt, plerumque unum tantùm ex duobus ſuum facere, & quidem juniorem. Id experti ſunt Abel & Cain, Jacob & Eſau, Iſaac & Iſmaël: quid ni & Diſmas & Geſtas? Gentiles & Judæi? Eccleſia & Synagoga?

VII. LATRO BONVS.

CRedidit Nicodemus, Scripturis convictus: vidit JESUM inter Seraphinos Eſaias, hic inter Latrones. Vidit illum Moyſes in rubo, hic inter ſpinas: Paulus in fulgure, hic in tenebris: diſcipuli inſtar nivis, hic ſanguine perfuſum: Chananæa & mille alij in miraculis. Anima hæc miſera credit, dum nemo credit; dum diſcipuli vendunt, negant, fugiunt; perſtat, profitetur, acquirit. Fides tua te ſalvam fecit, ô felix anima! Sed unde tibi hoc? ô felix anima! an quia olim latronum gladios inhibuiſti, ne periret ab externis, qui in patria à civibus quærebatur ad mortem? an quia è parte Aquilonis pendens, ſub umbra JESU requieviſti, verba Prophetæ de te dicta commemorans: Domine! Domine, virtutis ſalutis meæ! obumbrâſti ſuper caput meũ in die belli. Certè illuminatus es, cùm ſederes in tenebris & umbra mortis. An quia Maria ſpeculum juſtitiæ tibi & filio ſuo media, radios, quos à ſole juſtitiæ filio ſuo caput inclinante tunc acceperat, in te reflectebat, quibus illuminaretur, calefieret, arderet cor tuum? hæc ſanè cauſa eſſe potuit tuæ felicitatis.

Quis de miſericordiâ tuâ deſperet, ô JESU! qui repentè ex latrone feciſti hominem perfectiſſimum, qui fidem, ſpem, charitatem, fortitudinem, temperantiam, juſtitiam, prudentiam paucis verbis oſtenderet, qui fidem promulgaret, ſceleſtos reprehenderet, mœſtos ſolaretur, errantes corrigeret, juſtos defenderet, ſe ſe majoribus tormentis exponeret, dum te defendit?

tendit? Martyr fuit, quem causa non mors fecit. Discipulorum maximus, quia ultimus. Obscurato sole illuminatus latro: scissis petris, contritum ejus cor; motâ terrâ, concussa pietate anima: sepulchris apertis, os quoque ejus apertum; & resurgentibus mortuis suscitatus latro majore miraculo, quia ultimo.

Sed quæso te, ô anima mea! quare data est misero huic lux; nisi quia misericors est JESUS? & licèt tantis pressus doloribus, audit tamen & exaudit ad se clamantem voce robusta. Scio, ô Domine! quia omnis, qui invocaverit nomen tuum, salvus erit, atque ideo unam petij à Domino, & hanc requiram, ut inhabitem in domo Domini omnibus diebus vitæ meæ. O quàm dilecta tabernacula tua Domine virtutum! concupiscit, & deficit anima mea in atria Domini mei. Beati, ô beati, qui habitant in domo tua, Domine: Beatus vir, cujus est auxilium abs te. Credo, credo, videre bona Domini in terra viventium. JESU Filij Dei miserere mei, & illumina me. Deus, propitius esto mihi peccatori. Domine salvú me fac, ne absorbeat me profundum. Respice Deus meus ad orationem servi tui. Ostende mihi misericordiam tuam. Ne derelinquas me Domine Deus meus, & ne discesseris à me. Deus meus memento mei in bonum, quia bonus es sperantibus in te. Major quidem est iniquitas mea; quàm ut veniam mereat: sed non derelinquis, ô Domine! præsumentes de te. Scio, quia omnem, qui invocat nomen tuum, in gloriam tuam creâsti eum. Scio, quia misericordia tua magna est super me. Benedictus Deus, quia non amovet orationem meam à se, & misericordiam suam à me.

Judicet Dominus inter me & te, ô nequam latro! mihi adhærere Deo bonum est, & ponere in Domino Deo spem meam: nec judico me scire aliquid inter vos omnes, qui spectaris, nisi JESUM Christum, & hunc crucifixum.

O bone JESU! beatus, verè beatus, quem elegisti Domine, & assumpsisti, & quem, exaltatus à terra, attraxisti miserans. Verè omne, quod dat tibi Pater, ad te venit, & eum, qui venit ad te, non ejicis foras; sed ut vel hodie tecum in Paradiso sit, facis: & ne verbo tuo deesse videa-

videaris, vel personarum acceptor esse, socium crucis & latronem toto tuo emis regno. Seminat ille unum verbum in aure tua, & quamprimum fructum metit centuplum. Non vis nempe perire animam, sed retractas, cogitans ne penitùs pereat, qui abjectus est. Verè impietas impij non nocebit ei, in quacunque die conversus fuerit. Beneplacitum est Domino super timentes eum, & in eis, qui sperant super misericordia ejus.

Mirabilis Deus in Sanctis suis, qui non venit vocare justos, sed peccatores. Latro nil præter cor & linguam liberum habuit, duo minuta. Dedit DEO, quæ habuit. hinc portentum salutis ejus. Corde credidit ad justitiam, ore confessionem fecit ad salutem. Atque hæc causa fuit, cur JESUS meus noluerit mortem impij hujus, sed magis ut converteretur, & viveret. Tuum erat opus, ô JESU! ut in tantis difficultatibus latro hic jexiguo contemptæ crucis ligno crederet animam suam, & transiens mare mortis, per ratem crucis liberatus sit. Tuâ, ô JESU! gratiâ factum, quòd latro hic te in cruce orat, adorat, credit, timet, compungitur, pœnitet, confitetur, prædicat, amat, confidit.

Tuum est, quòd fide illuminatur, timore subditur, compunctione mollitur, pœnitentiâ concutitur, confessione purgatur, dilectione dilatatur, confidentiâ sperat, ratione impetrat: consummatus denique per gratiam tuam in brevi, explevit tempora multa.

Pastor es, ô Domine! & Pastor bonus; quia ex Pastoribus fecisti oves primas in stabulo, & ex lupo postremam in cruce. Vocem tuam audit, & præeuntem sequitur. Hora nunc est, ut ducas eam in ovile. Hæc enim est hora, quâ excusans se Adam ejectus est ex ovili Paradisi: decet, ut accusans se latro, ejus loco nunc introducatur.

VIII. LATRO MALVS.

ECce, ô Domine! habitat juxta te malignus, & sunt duo tecum in agro, quorum unus assumetur, alter relinquetur. Olim cum Publicanis & peccatoribus manducans, eis benefecisti; nunc cum tribus latronibus tibi negotium est: duos à morte liberas, unum etiam ab

ab æternâ. Barabbæ, quia nihil tibi mali fecit, vitam donas præsentem, tuâ emptam: Dismæ, qui tibi & de te bene dixit, etiam æternam: Tertium, quia se neutrâ dignum fecit, mori permittis morte utraq;, temporali & æternâ, corporis & animæ; ut nihil non mortuum in illo esset. Horreo horrendam Tribunalis illius tragœdiam, cujus periochas nobis nunc das in cruce, & non obscuram speciem; quando oves, quas posuisti à dextris, tuas facies; & hædos, qui se posuerunt à sinistris, illuc ablegabis, ubi eorum ampliùs memoria non erit in æternum.

IX. VERBA B. V.

S. Brig. l. 1. c. 10.

IN tempore illo audivi alios dicentes, quòd Filius meus latro erat; aliósque, quòd mendax; alios, quòd nullus dignior esset morte, quàm Filius meus. Ex quorum auditu dolor meus renovabatur.

X. OPPROBRIA.

QUia deliciæ Jesu mei sunt, esse cum Filijs hominum; ideo nemo ferè hominum est, qui non ludat ludentem in orbe terrarum Deum. Ita nempe etiam ipsi Deo familiaritas parit contemptum. Et verò impius, cùm in profundum venerit peccatorum, etiam contemnit.

Fecere hoc Reges, Præsides, Principes, penes quos potestas. Fecere hoc Scribæ, penes quos scientia; Pharisæi, penes quos Religio. Fecere hoc seniores populi, viatores, milites, latrones, & quis non? movent capita sua, qui corda deberent, & nihilo meliores operum Dei interpretes, quàm fuerint antè verborum, quod deberet esse laus patientiæ, vitio potentiæ adscribunt.

Diceris, ô JESU: contrarius operibus nostris & sine pace, qui pacis auctor & pacificator Deum inter & homines, nec nasci nisi tempore pacis voluisti; nec mori, nisi pacem priùs tuam testamento tuis legâsses. quibus etiam præcepisti, huic quoque domui pacem inferre,

vos. Risus autem vester dolore miscebitur, & extrema gaudij vestri luctus occupabit. Malè in inferno stridet, qui in mundo malè ridet: risus enim mundi gignit stridorem dentium in inferno.

O Anima mea! ductus est JESUS & à te tentatore, & à Judæis, qui ex Patre diabolo sunt, supra Pinnaculum templi Calvariæ. Et licèt eum è supercilio crucis præcipitare nunc, ut olim, non cogitent; tamen ad descensum ab hoc pinnaculo & iste & illi hortantur. Dixit enim vir ad proximum suum: Si Filius Dei est, descendat nunc de Cruce. Energumeni sunt Judæi, eo instigante descendere Christum jubent de cruce, qui olim ut fulgur præcipitatus fuit è cælo. Sublimitatem Christo etiam in cruce invident: ita nunquam non comes Christo fuit invidia. Descendet sanè, cùm volet, & per medium eorum ibit non visus, qui tam erat eis invisus. Nunc tamen omnis descensus displicet. Ipse promptiùs paulò antè in crucem ascendit, quàm olim descenderit in domum Reguli. Vix Matre olim rogante (cui tamen subditus erat) persuaderi poterat, ut iis, quæ Patris erant compositis, descenderet & veniret in Nazareth; eò quòd magis oporteat obedire Deo, quàm hominibus. Nunc quia iterum in iis est, quæ Patris sunt; nec Matre quidem rogante descenderet. Sapit ea JESUS, quæ Dei sunt: & bonum sibi esse sentit, adhærere Deo & Cruci. O Domine! ne me sapere doceas, nisi priùs doceas obedire.

XI. SEPTEM VERBA.

Audi meretrix Synagoga verbum Dei. In crucis Cathedra ultimo die Præceptor Humanitatis septem lectiones absolvit, nec ut cæteri solent, egit remissiùs, quia vocem in ultimâ, stupente mundo, & cælo admirante intendit. Fuere septem hæc Verba, epilogus omniū sermonum, & operum præcedentium; quæ ut bene à nobis ordirentur, è monte, è cruce, & clamore valido pronuntianda erant, ut in omnem terram exiret sonus eorum, & in omnes fines terræ hæc verba oris ejus. Hierosolymam & Pascha elegit, ut mundus submitteret auditores. Ita sine concursu mundi totius nec nasci, nec mori Deum decebat.

Videns

térque felicem Magdalenam, à qua ſeptena malignorum ſpirituum capita ejecit: uſque in Abyſſum, ubi ea vidit diſcipulus, quem diligebat JESUS. Ut itaque Creationi reſponderet Recreatio, opus Filij operi Patris, operi ſeptem verbis imponenda coronis fuit, velut totidem tonitruis, quæ terrerent; candelabris, quæ lucerent; ſtellis, quæ accenderent; tubis, quæ excitarent; panibus, qui reficerent; columnis, quæ ſuſtentarent domum, quam ſibi ſuíſque Sapientia æterna in hac militante Eccleſia ædificavit: dum térque quatérque beati recipiantur in triumphantem. Secuta quoque ſunt ſuum quodque verbum portenta: dixit enim, & facta ſunt verè mirabilia in cælo & in terra. Audita eſt vox Domini ſuper aquas, & dixit, Sitio: factáque ſunt portenta in aquis, & per diluvium lacrimarum ejus ſalvati ſunt omnes percutientes pectora ſua. Audita eſt vox Domini in virtute, & dixit: Ignoſce. Et facta ſunt portenta in Sepulchris, & monumenta aperta ſunt. Audita eſt vox Domini in magnificentia, & dixit: Conſummatum eſt. Et facta ſunt portenta in loco ſancto, & velum templi ſciſſum eſt. Audita eſt vox Domini confringentis cedros, & dixit latroni: Hodie mecum eris. Et facta ſunt portenta in ſaxis, & petræ ſciſſæ ſunt. Audita eſt vox Domini intercidentis flammam ignis, & dixit: Pater! in manus tuas commendo Spiritum meum. Et facta ſunt portenta in cælo, & tenebræ factæ ſunt. Audita eſt vox Domini concutientis deſertum, & facta ſunt portenta in ipſomet, & deſertum ſe & derelictum queſtus eſt. Et facta ſunt portenta in terra, & terræ motus factus eſt ſuper univerſam terram. Audita eſt vox Domini præparantis cervos, & Matri Diſcipulũ, & Diſcipulum Matri dedit. Et facta ſunt portenta in mortuis, & multa corpora Sanctorum ſurrexerunt. Ita non minore Majeſtate & Magnificentia recreari à filio mundum oportebat, quàm fuiſſet creatus à Patre.

XII. PATER DIMITTE.

O Dulce JESU mei guttur! quod etiam felle potatum, nil tamen amarum eructat. Verba vitæ æternæ habes, ô JESU! Filius

Dei es, quia irritamentum iracundiæ facis occasionem Charitatis. Diligere siquidem inimicos, humanum non est, sed divinum & filiorum Dei proprium. Hoc ita esse vel monoculus & Gentilis miles vidit, agnovitque exinde te Deum, quòd te videret sic morientem. Dies ultionis tuæ est, quando pro hostibus cælum paras, factus impiorum patronus ex judice; excusator ex vindice. Totum jam penè, non diminuto charitatis ardore, emisisti sanguinem. Nunc vox sanguinis tui, & octavo die in circumcisione, & octava hora in crucifixione, clamat de terra pro fratribus, voce Patrem, corde Matrem rogans, ut ignoscerent crucifixoribus. Sed & exauditus ab utroque quamprimum est pro sua reverentia: verè enim merebantur. Nam ut Caiphas, quid diceret, ita hi quid facerent, ignorabant.

Non edidere tam suavem sonum omnia instrumenta musica, quæ invenit Jubal, sicut edidere nervi JESU extensi super Citharâ crucis. Accepit Citharam suam David, cùm Spiritus malus arriperet Saul, & eum ad se reverti fecit. Accepit Citharam crucis JESUS, cùm Spiritus malus arriperet omnem populum, fecitque suavi suspirio ad Patrem, ut reverterentur ad semetipsos, percutientes pectora sua, qui pectori ipsius non pepercissent. Deus aliàs ultionum es tu, ô JESU: hîc titulum tuum perdidisti: hîc certè, si uspiam, misericordia superexaltat judicium: quia ex Deo ultionis factus es Deus pacis, Pater misericordiarum, imò Deus totius consolationis.

Cœpit JESUS olim facere, quæ nunc doceret; nunc cœpit facere, quæ olim docuit. Nam sive pro crucifixoribus, sive pro transeuntibus irrisoribus oraverit, Patri pro ijs supplex, & supplicatio factus, pro persequentibus & calumniantibus se oravit, præcepto ipse suo obsequens, & verbis usus, quæ vel ipse à Moyse, vel Moyses olim ab ipso acceperat.

Hæc vox ad Patrem missa cum clamore valido & lacrimis, cum sanguine & gemitibus inenarrabilibus, effecit, ut crederent, quotquot revertebantur, percutientes pectora sua, & agnoscebant, in quem confixissent. Dicturus illis erat: remittuntur vobis peccata vestra; si, ut orantis, ita & absolventis Sacer-

Sacerdotis munus tunc gessisset. Orandum namque tunc etiam erat, ut dies, qui propter electos in fine mundi breviabuntur, nunc prorogarentur, servituri ad pœnitentiam Quadragesimæ annorum, postquam Hierosolyma subverteretur.

Ecce, ô JESU! facis, quod docuisti: jam enim munus tuum oblaturus ad altare crucis, recordatus, quòd fratres tui habent aliquid adversùm te, vadis, ut potes, ad Patrem, reconciliari priùs fratribus tuis, fidelis consiliarius, fortis auxiliarius, efficax patronus. Videns itaque JESUS turbas multas circum se, misertus est eis, &, Pater! inquit, ignosce illis: non enim est acceptatio personarum apud te. Respice inimicos meos, quoniam multiplicati sunt, & odio iniquo oderunt me. Pro eo, ut me diligerent, detrahebant mihi: ego tamen pro eis oro, & misereor super turbam: licèt enim eorum multi nunc credant, tamen deficient in via: quidam enim ex eis de longè venerunt. Septies & septuagies septies & septingenties septies condonavi, peperci, ignovi. Ignosce & tu, ô Pater! & salvum fac populum hunc, & benedic hereditati tuæ: quæ enim alia est utilitas in sanguine meo?

Quàm bonus Israël Deus, etiam his, qui non recto sunt corde! ita charitas JESU, cui proprium est misereri semper & parcere, operit multitudinem peccatorum, etiam inimicorum suorum.

O anima mea! experientiâ didicisti, multò periculosius esse, malis benefacere, quàm bonis malè. Christiana virtus injurioso offensore indiget. Beneficus erga adversarium non vulgarem reportat victoriam; dum vincere scit, & hostis esse nescit. Quo benigniùs homo ignoscit, eò divina ultio properantiùs contra offensores accersitur. Nobis hoc arduum est, qui in divinis injurijs remittendis benigni sumus, in nostris implacabiles. Magna est virtus, si non lædas. Magna est fortitudo, si læsus remittas. Magna est gloria, si, cùm possis nocere, parcas; & prodesse inimico tuo, non præesse concupiscas. Nihil amorem Dei ita calefacit, quàm proximi amor, præsertim inimici. Quid dat & non dimittit, non facit opus misericordiæ: certúmque genus ultionis est parcere, & non misereri. Justus qui est, injusta cùm

patitur

patitur, non ad iram, sed ad preces convertitur, securus, quòd, qui pro inimicis orat, sibi quoque felicitatem exoret: scitque Eleemosynam perfectissimam esse, inimicum diligere. O quàm nobile vindictæ genus est, inimicos beneficijs fatigare. Quod cum Stephanus agit, cælum præ lætitia rumpitur, quòd characterem discipuli Christi videat, dilectionem.

XIII. SITIO.

INter pocula admonendus est nemo. Imperiosa corporis pars est venter: & difficile est ei verba facere, quia aures non habet. Deum immortalem! quot hominum unus quandoque venter non exercet! unus unius gustus nonnunquam mercatum invitat, non aliam ob causam, quàm quòd diviti hora prandendi sit non perinde ac pauperi, sed quando vult. Ita parvo fames constat, multò fastidium: cùm tamen fames, ubi pro condimento est, omnia reddat dulcia præter seipsam. Nempe jucunditas cibi potûsque non in satietate, sed in desiderio sedet. Quòd si cibus pro medicamento sumatur; (nam vento vivit nemo) nulla securior sanitati medicina est. Nunquam fame periclitatus est, qui frugalitatē in copiâ secutus est. Ipsum manna dum sine labore obtruditur, nauseam movet, & pro cibo vilissimo habetur. Ut sapidus Adamo panis esset, sudore quærendus erat.

Ergóne nemo est, qui intingat extremum digiti sui in aquam, ut refrigeret linguam sitientis JESU, adhærentem faucibus ejus? vel ex ijs etiam, qui nihil sine lucro faciunt, & sibi in proximo serviunt. Non deerit operi merces: nam quicunque vestrum dederit haustum aquæ frigidæ, huic JESU, qui nunc unus ex minimis est; non carebit mercede sua, sed quod justum est, dabitur ei.

Reperit David tres, qui per arma, per hostes, de cisternâ Bethlehem potum afferrent, galeâ pro scypho usi: neminem JESUS. Tot tantisque JESUS potum vel obtulit vel dedit; & vel nunc in novissimo die magno festivitatis suæ stans in cruce clamat, dicens: Si quis sitit, veniat ad me, & bibat. Et tamen sitit

tit fons hortorum cælestium, & puteus aquarum viventium.

Ecce, mi JESU! vinum non habent: idcóque deficiente vino per ministros acetum tibi porrigit, ut ex eo vinum facias, is ipse, qui olim ipse tibi in alio monte porrexit lapides esurienti, ut ex ijs faceres panes. Tanta tua sitis est, quam nec amphora, quam homo portet, nec hydriæ extinguere queant; quia nec aquæ nec vini sitis est. Fugit JESUS, quod omnes appetunt; appetit, quod omnes fugiunt. Nisi calicem ab Angelo propinatum accepâsset, prô! quanta futura esset sitis!

Tempus tuum propè est, mi JESU! jam jam Pascha in domo Patris tui in Cœnaculo grandi strato celebraturus, bibes de vino novo. Surge itaque, & reversus ito ad Patrem tuum, in cujus domo vel mercenarij abundant panibus; cùm tu interim in civium Hierosolymitanorum regione fame sitique pereas, planè innocens; cùm nec in cælum nec coram Patre peccaveris; sed quæ ei placita erant, feceris semper. Ecce jam annuli & stolæ, & calceamenta parantur, quorum corrigias solvere, Joannes se putet indignum. Sitivit anima mea ad te Deum fontem vivum. Quemadmodum desiderat cervus ad fontes aquarum, ita desiderat anima mea ad te Deus.

Bis petijt JESUS bibere. A Samaritana primùm, deinde in cruce; & nemo illi dabat. Quando itaque nunc hora vescendi est, veni huc, mi JESU! & intinge buccellam tuam in aceto. Meridies charitatis tuæ est: hora sexta est. Fatigatum te ex itinere, negare non potes. Sitire te, ipse clamas. Cur itaque oblatum spernis potum? postquam gustâsset, noluit bibere: ut nempe superesset pro ijs, qui calicem ejus bibituri erant, quósque dulcedine depravatos non nisi amara corrigunt. Quisquis cum JESU sitit, ad aquas anhelet, quæ supra cælos sunt.

Ingrata Synagoga! vinea olim electa! ecquid JESUS tibi facere debuit, & non fecit? hæccine reddis Domino? an hæ sunt, quæ exspectabantur, uvæ? non jam in labruscas, sed in acetum degenerantes? Deus mundi conviva cùm est, recumbit loco novissimo, id est, primus inter latrones. In cælo contentus est dexterâ Patris (ubi tamen sic sedet ad dexteram Patris, ut Pa-

ter non ſedeat ad ſiniſtram) Inter miſeros non ſecundas, ſed primas ambit. Date, date itaque ſiceram mœrenti, & vinum, ô inveterati dierum malorum! itáne ſervatis traditiones patrum veſtrorum, ut vinum felle mixtum detis? uva veſtra uva fellis, & botrus amariſſimus.. Fel Draconum eſt vinum veſtrum, & venenum aſpidum inſanabile.

Sed præter fel & acetum, quid obſecro propinet ſitientibus mundus? non habet. Expertus id es ingenti noſtro bono, mi JESU! ideo credo huic quoque incommodo conſulturus, aperies in latere fontem, ex quo mox bibant nobiles animæ & earum jumenta; ut vel Rebeccæ liberalitatem ſuperaturus ſis.

Sine calamitoſo JESUS vix cœnat, non interfuturus nuptijs, niſi defectum vini prævidens, ex aqua deſtinâſſet facere vinum, ut propinaret Architriclino, & præluderet in cœna, quod facturus eſſet in cœna. Et ne hominum more primùm nobis bonum vinum poneret; id quod melius eſt & novum, ſervavit uſque adhuc, in regno Patris ſui apponendum. Quanquam non video, an defæcatius & præſtantius deſiderari poſſit illo, quod ultima in cœna ultimo hauſtu ſuis propinavit. Fortè JESUS plus ſpongiam, quàm quod in ſpongiâ erat, acetum ambivit; ut ſpongia detergeret, ſi quid in labijs de oſculo Judæ ſupereſſet: ideo namque cùm guſtâſſet, noluit bibere. Atque ut ſitiat JESUS, & ſitiat vehementer; tanta tamen non eſt ſitis hæc, ut eam vel tu, ô anima mea! non facilè ſatiare queas, & remedium ponere tanto tormento. Latronem intuere, & quod eum facere vides, & tu fac ſimiliter: te propina, & JESU ſitim extinxiſti.

XIV. HODIE MECVM.

TAntus in cælo timor eſt luis humanæ, ut ipſe Dei Filius à lepra ſua quàm perfectiſſimè curatus, antè tamen non intromitteretur, quàm quadraginta dierum velut contumaciam ſuſtinuiſſet. Magdalena rerum ignara, cùm ad pedes properaret more ſuo, rejecta eſt; ne quid humanæ peſtis glorioſo corpori, contactu humano affricare-

caretur, neúe nova sanitatis, ut vocant, quadragena esset inchoanda. Tantum humani contactûs horrorem Cælitibus pepetit hominum peccaminosa lues.

Quadraginta itaque adhuc diebus, cùm ad Patrem nondum ascensurus sis, quomodo, mi JESU! hodie Paradisum promittis latroni? quomodo obsecro, hodie latronem in cælo futurum ais, cùm tu ipse, quantumvis gloriosus, adhuc tamen de humanitate suspectus sesquimensem exclusus sis?

Homines ibi Romam esse credunt, ubi Papam vident. Ego ut ab hac me ambiguitate absolvam, ibi cælum esse credam, ubi JESUM meum gloriosum videro. Ubi Papa, ibi Roma: ubi DEUS, ibi cælum. Sive te igitur in cælo sursum habuero, sive in terra deorsum, in cælo esse me credam. Si descendero in infernum, & tu ades: non invidebo vel Cælitibus ipsum cælum: quocunque loco fuero, mecum JESUM desidero; & in cælo ero, quod non locus, sed præsentia Dei mei facit, qui centrum est omnis lætitiæ. Vix exspiraverat boni latronis felix anima, & tecum illa fuit, vel ipsum infernum, in quem tecum descenderat, Paradisi titulo honorans. Perinde illi erat, ubi esset, jam beata, quia tibi conjuncta. O bone JESU! noli me separare à te, & in cælo me esse ubique, credam.

XV. VERBA B. V.

S. Brig. l. 1. c. 27.

QUarta lancea erat vox lamentabilis in cruce, qua clamavit ad Patrem dicens: ô Pater! quare me dereliquisti? acsi vellet dicere, Pater non est, qui misereatur mei: nisi tu.

l. 4. c. 70. Vocem ex imo pectoris, erecto capite, oculis in cælum directis, & lacrimantibus emisit dicens: Deus meus, Deus meus, ut quid me dereliquisti? Quam vocem ego nunquam, donec ad cælum veni, oblivisci potui: quam plùs ex compassione mea, quàm sua permotus protulit.

l. 1. c. 10. Filius meus videns me & amicos suos inconsolabiliter flentes, flebili voce & alta clamabat ad Patrem suum dicens: Pater! quare me dereliquisti? quasi diceret:

ret:

ret: nullus est qui misereatur mei, nisi tu Pater. Tunc oculi ejus apparuerunt semimortui, maxillæ ejus submersæ, & vultus lugubris, os ejus apertum, & lingua sanguinolenta, venter dorso inhærens, consumpto humore, quasi non haberet viscera. Omne corpus pallidum & languidum, ex fluxu & egressione sanguinis: manus & pedes ejus rigidissimè extenti erant, & juxta formam crucis, cruci attracti, & conformati. Barba & crines ex toto resperſi sanguine. Itaque cùm Filius meus sic laceratus & lividus staret, solum cor recens erat, quia optimæ & fortissimæ naturæ erat: de mea enim carne corpus mundissimum & optimè complexionatum sumpsit. Cutis ejus sic tenera, & gracilis erat, quòd nunquam ita leniter flagellabatur, quin statim exiret sanguis. Ipse quoque sanguis ejus tam recens erat, ut in cute munda videri posset. Et quia optimæ naturæ erat, vita cum morte in corpore ejus perforato certabat. Nam quandoque dolor de membris & nervis corporis perforatis ad cor ascendebat, quod recentissimum erat & incorruptum & incredibili dolore & passione vexabat ipsum. Et quandoque dolor à corde in membra lacerata descendebat, & sic mortem prolongabat cum amaritudine. Cúmque Filius meus his doloribus circumseptus respexit ad amicos suos flentes, qui maluissent illam pœnam in se cum auxilio ejus pertulisse, vel in æternum in inferno ardere, quàm eum sic videre cruciari: dolor ille ex amicorum dolore, omnem amaritudinem, & tribulationem, quam vel in corpore vel in corde sustinuit, excedebat; quia tenerè diligebat eos. Tunc præ nimia corporis angustia ex parte humanitatis clamabat ad Patrem: ô Pater! in manus tuas commendo spiritum meum. Hanc igitur vocem cùm audissem mœstissima ejus mater, contremuerunt omnia membra mea, cum amaro cordis mei dolore: & quoties postea hanc vocem cogitabam, quasi in aure mea præsens & recens erat.

XVI. DEVS MEVS.

PAter! non peccavi in cælum & coram te: ut quid ergo me dereliquisti? quare oblitus es mei? quare me repulisti? quare faciem

tuam

tuam avertis? quare conturbas me? quare oblivisceris tribulationis meæ? quare non invenio gratiam coram te? clamo ad te, & non exaudis me. Sto, & non respicis me. Mutatus es mihi in crudelem. Circumspexi, & non est auxiliator; non est, qui vicem meam doleat. Tu ipse vides humilitatem meam, tu ipse scis improperium meum, & confusionem meam: & tamen in me transierunt iræ tuæ: usquequo, Domine, usquequo peccatores gloriabuntur? usquequo, Domine, clamabo, & non exaudies? usquequo, Domine, oblivisceris me in finem? usquequo, ô Deus, improperabit mihi inimicus? ut quid, Domine, repellis orationem meam, & avertis faciem tuam à me? ut quid dereliquisti me? Pater mi! salvifica me ex hac hora: sed propterea veni in hanc horam. Pater! clarifica nomen tuum. Deus meus, in te confido, non erubescam.

Ita est, mi JESU! dereliquit te Pater: nam licèt adsint nubes, lux tamen deest; nec vox Patris auditur, qui in te sibi complaceat, & te audiri præcipiat. Nempe tantùm mutatus ab illo es, ut nec Patri placeas, & maledictus etiam à Patre existimeris, quia pendes in ligno. Discite mortales, assuetudo quid possit; quando Deus ipse, humanitatis per tot annos frequentans actus, tandem dolore pressus, habitu inventus est ut homo: Ita etiam in Deo assuetudo facta est altera natura.

Perperam, quæ dicis, intelligunt, qui verbis tuis accomodatas aures non habent. Eliam vocâsse crederis. Videamus, inquiunt, num veniat Elias. O stulti & tardi corde ad credendum? Elias jam venit, & non cognovistis eum, & fecistis in eo, quodcunque voluistis.

Sed quis te, ô JESU! miserum credat, quando te vel tuis verbis beatum dicis? Pauper es, & persecutionem sustines: ergo tuum est regnum cælorum. Quin etiam terram possidebis: nam mitis es & humilis corde. Quia luges, consolaberis: quia sitis, satiaberis: & misericors miseris cùm sis, misericordiã consequeris: insuper & mundi cordis cùm sis, (ut ex aquâ videbimus) Deum videbis, à quo derelictum te lamentaris. Beatus igitur es, ô beatorum beatitudo. Et licèt homo cùm sis, accipias omnia; quia tamen Deus es, das omnia.

Dereliquit te Pater: ita eſt; ſed in puncto tantùm, & in modico dereliquit te: nec derelinquere te omnino poteſt, quia tu in Patre, & Pater in te eſt, & omnia, quæ Patris ſunt, tua ſunt. Nonne vides? jam annulus, jam ſtola prima & calceamenta afferuntur, jam gaudia parantur & convivia, ut edas & bibas de genimine vitis novo in regno Patris tui. Quamvis non bene videam, cur te queraris derelictum à Patre, quamdiu tibi Mater adſtat. Plena Deo Maria eſt: ea præſente, Deus abeſſe non poteſt.

XVII. ECCE FILIVS TVVS.

PEndens è cruce JESUS, jam jámque abiturus ad Patrem, circumſpicit de comitatu, vidénsque turbam circa ſe magnam; derelictum ſe tamen etiam à ſuis ſentit queritúrque. Sed iterum circumſpiciens, & ſupereſſe videns de tot modo millibus unam, Mariam; & ſupereſſe videns de tot modo millibus unum, Joannem, diſpoſiturus domui ſuæ, (quia moriturus) Mulier, inquit, (matrem dicere non auſus, ne teneritudine appellationis affigeret in terram, vix ægrè aliàs ſtantem) Ecce filius tuus!

Trium deſiderio, mi JESU! & tuo, & Matris & Joannis litâſti. Ita nempe quos diligis, in finem diligis. Cogitabat unà tecum Maria adoptare tuo loco Joannem in filium; ſed adoptare mulier non poterat ſine principis juſſu, id eſt, tuo. Idem quoque cogitabat Joannes, & optabat, ut filius Mariæ nominaretur & eſſet. Quod nunc vi verbórum tuorum ſuo modo eadem facilitate factum eſt, qua nuper aquam in vinum, vinum heri in ſanguinem, panémque in corpus tuum tranſubſtantiaveras, ſi placuiſſet, etiam ex lapidibus facturus panes; vel filios Abrahæ. Quid optem aliud, ô anima mea! quàm cum Joanne in filium Mariæ adoptari; ut ex filio reginæ, fiam filius regni? verè cui illa benedixerit, erit ille benedictus,

XVIII. ECCE MATER TVA.

NUnquid & tu, ô Joannes! diſcipulus es hominis iſtius? nonne viſus es in horto cum illo? verè tu cum JESU Galilæo eras, & ex

ex illis es: nam & Galilæus es, & loquela tua te manifestum facit. Cur ergo non cum alijs fugisti? fugerunt sanè heri omnes.

Sed cùm altera die vidit Joannes ad se venientem (in angulo plateæ stans cum Maria Matre JESU, nunc suâ) Ecce, ecce, ait Ioannes, ecce Agnus Dei, qui tollit peccata mundi: & respicens JESUM ambulantem & crucem bajulantem, dixit: ecce Agnus Dei! & nemo discipulorum audivit eum loquentem, ut sequerentur JESUM, quia omnes fugerant. Ita uterque Joannes unum idémque testimonium perhibebat de JESU, tam ille, qui præibat, quàm qui eum sequebatur; ut in ore duorum staret omne verbum, & sciretur, quia verum est testimonium eorum.

Justum itaque erat, ut JESUS etiam domui dilectissimi sui Joannis provideret. Providendum erat adolescentiæ, in qua non rarò virtus velut ignis in viridi ligno suffocatur. Totum hoc fecit JESUS, cum Joannem filium Mariæ fecit. Nec tantæ laudis honore (quid enim gloriosius, quàm filium Mariæ dici & esse) Joannes elatus est.

Luna ne post hac tenebras soli offundat, eam sub Mariæ pedibus posuit cælum; ut ab ijs, unà cum serpentis capite etiam lunæ cornua, ne exaltarentur, conterantur. Hanc sub nomine Dianæ cùm videbit Joannes Ephesi, eã pro Dea coli; persequetur, nec desinet, dum eam sub Mariæ pedibus reponat: & verò cum repositam esse viderit in cælo sub Mariæ pedibus, testabitur nobis, è cælo signum, & signum magnum se vidisse, Mariam amictam sole, & lunam sub pedibus ejus. Hoc est, accipere Mariam in sua, & ubique contra hostes suos, ipsa virtutem dante, defendere. Hoc est dulcissimum vitæ genus, sua agere, id est, Mariæ negotia.

XIX. CONSVMMATVM EST.

Finis venit, venit finis. Uno tantùm gradu JESUS mórsque dividuntur. vidit JESUS cuncta, quæ fecerat, & erant valde bona. Auctor & consummator fidei nostræ, opus, quod dedit ei Pater ut faceret, consummavit, & manifestavit nomen ejus hominibus, quos dedit ei de mundo. Vetus Testamentum, quod novi prophetia est,

 finem

finem habet, & cum testamento ita: siquidem Lex iram, Evangelium mundo pacem tulit. Neque enim priùs discordia hominum à Deo corda, concordata sunt, quàm JESUS vocem daret, cui tam grata cælo terræque symphonia attemperaretur. Nec superest, nisi ut eum Pater clarificet apud semetipsum claritate, quam habuit, priusquam mundus esset apud ipsum.

XX. PATER IN MANUS.

JAm dudum JESUS in sudore vultûs sui, quem mors vicina expressit, vescitur Pane suo, quem nos nescimus: éstque in ijs, quæ Patris sunt. Mariæ provisum est: Ioannes non neglectus. Tempus est, ut & domui suæ provideat, spiritúmque, quem unum adhuc unicunque habet, eum in locum emittat, in quo neque luctus, neque clamor, neque ullus dolor esset. Tractabilis planè Spiritus, qui ne ex otij desiderio credatur declinare labores, se non in alias, quàm operosissimas Patris manus commendat, quibus manibus omnium sortes discriptæ sunt. O quàm bonus & suavis est Spiritus tuus! In hoc Spiritu vivimus, movemur, & sumus. O Anima mea! si quis Spiritum Christi non habet, non est ejus: ubi & quando vult, spirat. Horrendum est, scio, horrendum est, incidere in manus Dei, & Dei viventis & videntis: sed in manus Dei morientis incidere est utile, quia multùm misericors est. Itaque mi JESU! sicuti Spiritum tuum in manus Patris commendâsti, ita ego meum in tuas cum S. Stephano commendo. O suscipe, Domine JESU! Spiritum meum; ut unitus cum tuo vadat, quò tu vadis, quóque solus sine duce, meus non posset. Sufficit mihi, Domine, tolle animam meam: confidam in promissionibus tuis, quibus ô utinam dignus efficiar! quando dixisti: dabo vobis Spiritum meum & vivetis. Ecce, ô Anima mea! Pastor bonus nunc ponit Animam suam pro ovibus suis, & ingreditur viam universæ carnis. Ecce sic separat amara mors. Ecce sic justus perit, & nemo est, qui recogitet corde.

XXI. CLAMANS.

QUI habet aures audiendi, audiat, quid morientis JESU Spiritus dicat Ecclesijs. Nunquam mortuos sine clamore suscitari contigit. Venit JESUS è cælo in terram, ut mundum mortuum, jamque non quatuor diebus, sed quatuor millibus annorum fætentem, excitaret. Probavit tanti miraculi successum in puella, quæ modò defuncta erat: in juvene, qui offerebatur: in viro, qui quatriduanus jam fætebat in sepulchro. Ultimo miraculo mortuum suscitaturus mundum, clamore valido id fecit, qui & ipse miraculo minor non erat. Et attollente te, mi JESU vocem, sustulit mundus caput, & motu ostendit se vivere, & à clamore hoc revixisse: hoc motu asseveravit, quando mortui audiebant vocem Filij Dei, quæ & in Erebo audita est ob terrorem, & in cælo exaudita est pro reverentiâ. Quin & per ora Apostolorum in omnem terram exivit. Neque enim alius erat sonus Evangelij, quod prædicabant Apostoli: Quippe clamans JESUS in cruce fortiter, dabat verbum Evangelizantibus, vocique prædicantium, id est, suæ, virtutem. Inhibuit JESUS vocem coram Regibus & Præsidibus, ut collectiorem nunc emitteret. Ita cum admiratione principum tacet; & cum stupore omnium populorum clamat. Certè nunquam sic locutus est homo. Vox hæc doctrina fuit, non querela, nullum homini probrum esse, si in cruce positus fleat. Vox hæc cygni est finientis cum suspirio. Vox hæc leonis est de tribu Juda, qui in cruce, erugijt vitam, quàm catulis daturus erat. Vox hæc pastoris est: vocem ejus audient oves, quæ sunt propriæ, quæque aures audiendi habent. Laborat clamans, raucæ factæ sunt fauces ejus: defecerunt oculi ejus, circumdederunt eum dolores mortis: sed quod gravius est, torrentes iniquitatis nostræ conturbant eum. Sed incrassatum est cor populi hujus, & plerique auribus graviter audierunt, præsertim mortui, ut in Lazaro vidimus: cæterùm alij mortui citiùs audivere loquentem, quàm hi vivi clamantem. Quid miror clamorem fuisse validum, qui scindere velum tem-

pli, & petras, qui quatere universam terram, & excitare debebat mortuos? & ut hæc non fuissent, clamandum tamen erat; tum ut vox daretur Apostolis suffectura orbi terrarum; tum quia clamor erat ultimus, post quem non alius neque luctus, neque clamor, neque dolor ultrà futurus esset: mortuus enim semel cùm sit, mors illi ultrà non dominabitur.

XXII. INCLINATVM CAPVT.

VEre Filius hominis non habet, ubi caput reclinet. Ita est: nam licet in præsepio super fœnum, in navi super tabulam, in horto super terram, in cruce super coronam, in infantia & post mortem super genua B. V. & in sepulchro reclinatus sit super lapidem; quies tamen vel nulla unquam, vel certè non invidenda fuit. In duro crucis strato à sexta usque ad nonam horam se torquens, cùm ne nox quidem superinducta conciliaret soporem, memor tandem cervicalis, quo Ioannes erat usus in cœnâ, supra pectus & ipse recubuit suum, Matremque moriturus aspexit: ut sciremus, ne Ipsũ quidem sine Maria sanctè mori voluisse. Vel quia novo vulneri designabat locum, ut ictum lanceæ cum reverentia acciperet, unde tanta effluerent mysteria, vel quia meliorem animam mundo inditurus, spiravit in illum secundò spiraculum vitæ.

Sed & aliud, ni fallor, est mi JESU! cur caput inclines: nam veniam peccatorum petituris, gratiosè annuis: & ut nos possemus levare capita nostra, quando appropinquat redemptio nostra; tu deprimis tuum, in eos velut sagittarios collimans, qui credunt nescire te, quis te percusserit; quos olim erecto capite, cùm videbis, videre facies, in quem pupugerunt. Judex denique cùm sis, in terram intendis, & attendis de specula crucis, quidquid pecco.

Omnia in te sunt inclinata, mi JESU! quin & tecum, exceptis cordibus nostris, omnia inclinatur: nam & cælos inclinâsti, cùm descenderes: & vix natus, reclinatus es in præsepio. Inclinâsti te, ut scriberes pro adultera supplicem libellum, factus publicæ peccatricis publicus advocatus. Inclinâsti te ad osculum Judæ. Quid mirum, quòd Patri Spiritum traditurus etiã te

te inclines, quo merearis, ut in nomine tuo inclinetur omne genu?

Alij spiritum tradunt, & postea inclinant caput: tu priusquam exspires, caput inclinas. An quia sponte? an ut Matri valediceres? an ut ad mortem accederes tu, quæ nolebat ad te? An quia salutas Occidentem! An ut te à titulo & Hierosolyma averteres? an quia titulus aliàs legi non poterat? an quia sacratissima cervix tua jugo peccatorum nostrorum supra modum gravata erat? an quia nunc eadem in cælo currebat hora, quâ Adam à Patre tuo avertit faciem, ut tu eâdem horâ inclinares faciem tuam, quâ ille avertit suam? an quia docebas, te non aversum à nobis discedere? an quia pacem, cælum inter & nos factam, inclinatione & nutu hoc concludis? Quidquid id est, ô amantissime JESU! quod te ad id movit, exaltatio mea est: neque enim unquam ob alium te finem humiliâsti, quàm ut tuos exaltares.

XXIII. VERBA B. V.

S. Brig. l. 1. c. 27.

QUinta lancea, quæ cor meum pertransibat, erat mors ejus durissima: de quot enim venis sanguis ejus exivit pretiosus, quasi tot lanceis cor meum perforatum est. Perforatæ sunt nempe venæ manuum ejus & pedum, & dolor nervorum perforatorum accessit inconsolabiliter ad cor ejus, & de corde iterum ad nervos: & quia cor ejus erat recentissimum, & optimum, quia compaginatum de optimâ naturâ: propterea certabant inter se vita & mors, & sic amariùs protrahebatur vita inter dolores. Appropinquante autem morte, cùm præ intolerabili dolore rumperetur cor, tunc statim contremuerunt omnia membra ejus, & caput, quod ad dorsum ejus reclinabatur, elevavit se modicùm. Oculi semiclausi aperiebantur, quasi ad medietatem. Os ejus similiter aperiebatur, & videbatur lingua ejus sanguinolenta. Digiti & brachia, quæ erant quodammodo contracta, extendebantur. Tradito autem Spiritu, caput inclinabatur ad pectus; manus de loco vulnerum modicũ submiserunt se. Pedes sustentabant majus pondus. Tunc aruerunt manus meæ; oculi obte-

pli, & petras, qui quatere universam terram, & excitare debebat mortuos? & ut hæc non fuissent, clamandum tamen erat; tum ut vox daretur Apostolis suffectura orbi terrarum; tum quia clamor erat ultimus, post quem non alius neque luctus, neque clamor, neque dolor ultrà futurus esset: mortuus enim semel cùm sit, mors illi ultrà non dominabitur.

XXII. INCLINATVM CAPVT.

VErè Filius hominis non habet, ubi caput reclinet. Ita est: nam licet in præsepio super fœnum, in navi super tabulam, in horto super terram, in cruce super coronam, in infantia & post mortem super genua B. V. & in sepulchro reclinatus sit super lapidem; quies tamen vel nulla unquam, vel certè non invidenda fuit. In duro crucis strato à sexta usque ad nonam horam se torquens, cùm ne nox quidem superinducta conciliaret soporem, memor tandem cervicalis, quo Ioannes erat usus in cœnâ, supra pectus & ipse recubuit suum, Matrémque moriturus aspexit: ut sciremus, ne Ipsũ quidem sine Maria sanctè mori voluisse. Vel quia novo vulneri designabat locum, ut ictum lanceæ cum reverentia acciperet, unde tanta effluerent mysteria, vel quia meliorem animam mundo inditurus, spiravit in illum secundò spiraculum vitæ.

Sed & aliud, ni fallor, est mi JESU! cur caput inclines: nam veniam peccatorum petituris, gratiosè annuis: & ut nos possemus levare capita nostra, quando appropinquat redemptio nostra; tu deprimis tuum, in eos velut sagittarios collimans, qui credunt nescire te, quis te percusserit; quos olim erecto capite, cùm videbis, videre facies, in quem pupugerunt. Judex denique cùm sis, in terram intendis, & attendis de specula crucis, quidquid pecco.

Omnia in te sunt inclinata, mi JESU! quin & tecum, exceptis cordibus nostris, omnia inclinatur: nam & cælos inclinâsti, cùm descenderes; & vix natus, reclinatus es in præsepio. Inclinâsti te, ut scriberes pro adultera supplicem libellum, factus publicæ peccatricis publicus advocatus. Inclinâsti te ad osculum Judæ. Quid mirum, quòd Patri Spiritum traditurus etiã

te

te inclines, quo merearis, ut in nomine tuo inclinetur omne genu?

Alij ſpiritum tradunt, & poſtea inclinant caput: tu priuſquam exſpires, caput inclinas. An quia ſponte? an ut Matri valediceres? an ut admortem accederes tu, quæ nolebat ad te? An quia ſalutas Occidentem! An ut te à titulo & Hieroſolyma averteres? an quia titulus aliàs legi non poterat? an quia ſacratiſſima cervix tua jugo peccatorum noſtrorum ſupra modum gravata erat? an quia nunc eadem in cælo currebat hora, quâ Adam à Patre tuo avertit faciem, ut tu eâdem horâ inclinares faciem tuam, quâ ille avertit ſuam? an quia docebas, te non averſum à nobis diſcedere? an quia pacem, cælum inter & nos factam, inclinatione & nutu hoc concludis? Quidquid id eſt, ô amantiſſime JESU! quod te ad id movit, exaltatio mea eſt: neque enim unquam ob alium te finem humiliâſti, quàm ut tuos exaltares.

XXIII. VERBA B. V.

S. Brig. l. 1. c. 27.

QUinta lancea, quæ cor meum pertranſibat, erat mors ejus duriſſima: de quot enim venis ſanguis ejus exivit pretioſus, quaſi tot lanceis cor meum perforatum eſt. Perforatæ ſunt nempe venæ manuum ejus & pedum, & dolor nervorum perforatorum acceſſit inconſolabiliter ad cor ejus, & de corde iterum ad nervos: & quia cor ejus erat recentiſſimum, & optimum, quia compaginatum de optimâ naturâ: propterea certabant inter ſe vita & mors, & ſic amariùs protrahebatur vita inter dolores. Appropinquante autem morte, cùm præ intolerabili dolore rumperetur cor, tunc ſtatim contremuerunt omnia membra ejus, & caput, quod ad dorſum ejus reclinabatur, elevavit ſe modicùm. Oculi ſemiclauſi aperiebantur, quaſi ad medietatem. Os ejus ſimiliter aperiebatur, & videbatur lingua ejus ſanguinolenta. Digiti & brachia, quæ erant quodamodo contracta, extendebantur. Tradito autem Spiritu, caput inclinabatur ad pectus; manus de loco vulnerum modicũ ſubmiſerunt ſe. Pedes ſuſtentabant majus pondus. Tunc aruerunt manus meæ; oculi obte-

obtenebrati sunt, & facies palluit quasi mortui hominis: aures nihil audierunt: Os nihil potuit loqui: pedes etiam mei nutaverunt: & corpus meum cecidit ad terram. Surgens autem de terra, cùm viderem filium meum, leproso despectiorem, posui voluntatem meam totam ad ipsum, sciens, quòd secundùm voluntatem ejus omnia facta fuissent, & non potuissent fieri, nisi ipso permittente: & regratiabar ei pro omnibus: lætitiáque quædam mixta erat mœstitiæ; quia videbam eum, qui nunquam peccavit, ex tanta charitate voluisse talia pati pro peccatoribus. Ergo quicunque est in mundo, consideret, qualis eram in morte filij mei, & semper habeat præ oculis.

L. extravag. c. 83. Tripliciter intelligi & cognosci poterat in morte filij mei, quòd ipse erat verus Deus, & verus homo.

1. Quia terra contremuit, & lapides consciſſi sunt.

2. Cùm dixit: Scriptura completa est.

3. Cùm dixit latroni: Hodie mecum eris in Paradiso: hoc enim nullus Sanctorum promittere poterat.

XXIV. EXSPIRAVIT.

ECce ô Homo! nunc Agnus occisus est pro mundi vitâ, heri à te coctus & assatus non alio igne, quàm quem tu mi JESU! venisti mittere in terram; & jam triginta tribus annis voluisti ut accenderetur. Ita est: Agno pascendi erant, quos ad mansuetudinem educatos, mittebas in medio luporum.

Non pacem sed gladium te mittere dixisti: & bene; quia Martio Mense conceptus, Mense Martio mori voluisti; eo tempore, quo diem cælum habet nocti terræ æqualem, ut ex cæli æquitate in terram redundaret justitia mediatoris.

Videre hîc est alterum Noë: salvat ille mundum per Arcam, hic per Crucem: ille vineam, hic Ecclesiam plantat: ille vino ebrius somno sopitur, hic nimio amore saucius moritur. Uterque nudus, uterque contumeliosè irrisus: & iste denique, ut ille, reperit, à quibus tegeretur, viros duos.

Quin & alterum Adamum video. Ille horâ tertiâ in Paradi-

sum, hic in prætorium, ut sententiam mortis audiret, vocatur: uterque horâ sextâ manus admovet arbori; nisi quòd iste arborem ignominiæ, unde penderet gloria; ille arborem scientiæ, unde penderet ignorantia, prehenderit. Circa horam nonam, unde Adamus ejectus erat, illuc nos Christus introduxit. Denique Feria sexta mundo salutaris est, qua homo creatus & recreatus est. Honorâsti, mi JESU! terram habitatione tua, aquam baptismo: Spiritûs sancti missione ignem decorabis: & nunc morte tua sanctificas aërem, aërem peste peccatorum nostrorum jam pridem infectum. O Domine! quæ te terra morientem suscepit, ea quoque me non respuat. Desiderio tu fave.

XXV. MORITVRVS.

MOriturus Christus abrogato Testamento veteri, ac revocatis donationibus propter ingratitudinem, in lecto crucis fecit Testamentum omnino novum & solenne, septem munitum sigillis, testibus rogatis quàm plurimis, in quo & me heredem instituit. Nam potest heres institui, etiam nondum natus.

Legavit JESUS Patri Spiritum suum; corpus Josepho & Nicodemo, Matri Joannem, Joanni Matrem, Petro fletum, Apostolis ceteris libertatem Spiritûs, Cyrenæo honores in Evangelio, Veronicæ sudarium, Mulieribus verbum solatij, Malcho auriculam, crucifixoribus vestes, latroni Paradisum, Centurioni fidem, Longino visum, Judæis prodigia, Imperatoribus crucem, cruci virtutem. Portio mea est, custodire legem tuam, Domine. Mansuetus Christus in testamento, discretus in judicio. Postquam morte sancitum est, lanceâ est apertum, & è latere exemptum, ubi latebat in Regione cordis. Et quia nullâ conditione boni testamenti caruit, legis instar obligat; quia testatoris voluntas lex est: adeóque aut testatoris voluntas servanda est, aut hereditate cadendum. Unum addo: tertio die licèt resurrecturus sit; (ideo ter cecidit) tamen heredes lucro suo non privabit; nam sua non repetet.

XXVI. MAGDALENA.

Magna eſt, velut mare, contritio Magdalenæ. Quorundam dolor ſine ſpectatore ceſſat; quia oſtentationem doloris pro dolore vendunt. Qui ſine teſte dolet, verè dolet: & dolor ſi verus eſt ac recens, ex diſſimulatione creſcit, & dolorē præteritum revocat. Quòd ſi mulier doleat, & verè doleat, prohibenda non eſt, ne lacrimis ſuffocetur. Mulier hæc Magdalena dimiſſa eſt ab infirmitate ſua: projecit omnia chara ſua in crucem, velut in rogum, ut celebret exequias Chriſto. Verè ancilla oſtiaria crucis, tenax hedera ad arborem hanc Paradiſi. Theſauraria & diſpenſatrix ſanguinis Chriſti, & pœnitentium magiſtra. Beatus homo, ô JESU! qui amat te & amicum in te, & inimicum propter te: poteſt enim charitas, quod negat natura.

XXVII. VERBA B. V.

S. Brig. l. 6. c. 10.

In morte filij mei omnia conturbabantur. Nam Deitas, quæ nunquam ab eo ſeparabatur, nec in morte, in illa horula mortis tanquam compatiens videbatur; licèt nullum dolorem vel pœnam Deitas pati poſſit, quia impaſſibilis & immutabilis eſt. Filius ipſe patiebatur dolores in omnibus membris & etiam in corde, qui tamen ſecundùm Deitatem erat immortalis: anima etiam ejus, quæ immortalis erat, patiebatur, quia exivit de corpore. Congregati Angeli, etiam quaſi turbati videbantur, cùm viderunt Deum in humanitate pati in terra. Sic Angeli quaſi contriſtabantur de pœna ejus; cùm tamen impaſſibiles ſint: ſed gaudebant de gloria ejus futura, & de utilitate ex Paſſione ejus ventura. Omnia quoq; elementa turbabantur, & ſol & luna dimiſerunt ſplendorem ſuum, terra tremuit, lapides ſcindebantur, ſepulchra aperiebantur in hora mortis filij mei. Omnes Gentiles turbabantur, ubicunque erant: quia in corde eorum venit, quaſi quædam punctura doloris; licèt neſcierunt, unde eſſet. Tribulabatur etiam cor crucifigentium cum in illa hora, ſed non ad gloriam

gloriam eorum. Adhuc etiam immundi Spiritus turbabantur in illa hora, & quasi in unum congregati turbabantur. Illi autem, qui erant in sinu Abrahæ, multùm turbabantur in tantùm, quòd mallent in æternum esse in inferno, quàm talem pœnam videre in Domino suo. Ego autem, quæ tunc eidem filio meo astabam, Virgo & Mater ejus, qualem dolorem tunc patiebar, nullus potest considerare. Ideo, filia mea, recordare Passionem filij mei: fuge instabilitatem mundi, qui non est nisi quidam visus, & flos citò arescens.

XXVIII. PRODIGIA.

VEnite & videte opera domini, quæ posuit prodigia super terram, ô Stulti & tardi corde ad credendum: nisi enim signa & prodigia videritis, non creditis; nisi territi, non timetis. Generatio mala & adultera de cælo signum quærit. Dabitur in cælo sursum & in terra deorsum. Sed erratis, nescientes Scripturas. Non est probatio sanctitatis, signa facere. Sed quia curiosi estis, expetita miracula in pretio vobis sunt, ultronea vilescunt. Ita familiaritas etiam DEO parit contemptum. Ioannes nullum fecit signum, JESUS plurima: & cùm Ioannes nullum faceret, magni illum fecistis, existimante populo, & cogitantibus omnibus in cordibus suis de Ioanne, ne fortè ipse esset Christus: tamen moriente & faciente Signa JESU, vix quispiam vestrûm cogitavit, quòd ipse esset Christus; cùm tamen ipse sit, qui facit hæc mirabilia, quique suis (quod Elias Elisæo fecit) duplicem dat Spiritum; quo & hæc & majora horum faciant credentes: ut miraculis Sanctorum frangatur violentia Tyrannorum.

XXIX. VELVM TEMPLI.

SI unquam fuit, nunc certè tempus est, videndi ædificationes templi, quales lapides & quales structuræ sint: quin & videre nunc vel orbis universus potest abominationem desolationis stantem in loco Sancto. Cùm scinditur incertum, studia in contraria vulgus Hebræum, & ipse filiorum populus scinditur, velum Templi; ut velum

cruci oppandat, & tegatur Synagogæ flagitium. Sciſſuram accepit hoc velum à ſummo, ubi Eccleſiæ fundamenta ſűt, proſtratæSynagogæ ruderibus ſuperingeſta. Quanquam & jam olim ejus caput in Jairo Synagogæ principe ad pedes Chriſti abjectum eſt, cùm mors Filiæ initium vitæ dedit Patri. Scire nunc poſſunt Iudæi, non propter locum gentem, ſed propter gentem locum à Deo electum eſſe. Templum Domini, Templum Domini, ſeptennio factum, quadraginta ſex annis refectum, cùm poſt quadraginta duos annos deſtruetur, jacebit.

XXX. TENEBRÆ.

AUT Deus patitur, aut mundi machina diſſolvitur, ſi ex ordine rerum Deus cognoſcitur. Infra terram, ſub terra, ſupra terram & in cælo ignis eſt: unde ergo lux, naturæ ſolatium & regina oculorum, mundo ſubtrahitur in meridie? Natura ut non abundat in ſuperfluis, ita non deficit in neceſſariis. Venire hæ tenebræ non potuerunt, niſi ad occaſum properante JESU, qui erat lux mundi. Ecce ſigna in ſole & luna: nam ſol obſcuratur, & luna non dat lumen ſuum. Luna ab antipodibus à Nadir per Orientem currit ad Zenith Hieroſolymæ in meridiem, currendo velut laſſa minuitur: ac ubi ad ſolem pervenit, omnino deficit tota, & totum novo more ſolem obumbrat; uſque dum officio ſuo functa per Orientem viâ non ſuâ redeat, gloriâ morientis Dei oppreſſa. Ita cæli enarrant ô JESU! gloriam tuam: & quia dies diei eructare Verbum Patris non poteſt, nox nocti indicat ſcientiam, ſedentibus in tenebris & umbra mortis.

Loquitur cælum pro Verbo ſemper: nam ſi Verbum infans eſt in præſepio, loquitur cælum Gentilibus linguâ igneâ. Si Verbum tacet in cruce, tremula voce & ex nube perorat. Eo naſcente, cælum aperuit oculum novum; eo moriente oculum clauſit, quem ſemper habuit. In hujus mundi tenebras ingreſſus cum face, quaſi fugitivum in terras Deum accenſâ Superi lucernâ veſtigarent. Cùm exiret in tenebris ex hac vita & mundo, ipſe lux erat illuminans omnem homi-

nem

nem venientem in hunc mundum.

Obſtupeſcite cæli ſuper hoc, & portæ ejus deſolamini vehementer. Ecce ſolis ſidus ante ſex horas viſum in Oriente, currit uſque dum veniens ſtat in meridie ſuprà, ubi ille eſt, quem vos potentiſſimi Magi puerum non longè hinc indicio ſideris alterius coluiſtis, ut regem; adorâſtis, ut Deum. Videntes ſolem obſcuratum triſtabimini triſtitiâ magnâ valde; & aſcendentes montem Calvariæ videbitis commotam Hieroſolymam, invenietis eum cum Maria Matre ejus, non ſine Joſepho. Procidentes adorate, ut regem: ad exemplum totus componatur orbis hîc congregatus. Quin & theſauris veſtris nunc magis opus habet quàm tunc: ſiquidem auro ſindon emi poteſt munda: thus & myrrha ſerviet in centum libras mixturæ ex aromatibus. Quo facto pro uno Angelo habebitis duos, qui vos in ſomnis admoneant, ut eluſo etiam hoc Herode (qui illius filius & vulpes eſt) pér aliam viam revertamini in regionem veſtram.

Quin clàm vocatis Magis (propter metum Judæorum) diſcamus ab eis tempus ſtellæ & eclipſeos, & interpretationem ejus audiamus; quid portendat, quòd in ortu Chriſti faces cæli etiam noctu accendantur; in ejus occaſu, etiam in meridie extinguantur. Norunt namque Magi faciem cæli dijudicare. Ne dubita, preſſuram gentium augurabuntur, areſcentibus hominibus præ timore & exſpectatione eorum, quæ ſuperventura ſunt univerſæ terræ Iſraël: nam adhuc quadraginta anni, & Hieroſolyma ſubvertetur.

O JESU, à Patre in cælo & à Matre in terra in ſanctorum ſplendoribus genite! qui ſolem tuum oriri facis etiam ſuper malos, cur eum nunc etiam à bonis abſcondis? quomodo lux mundi cùm ſis, qui te nunc ſequitur, non ambulat in tenebris? poſuiſti nunc tenebras latibulum tuum, qui olim in ſole poſuiſti tabernaculum tuum: & qui feciſti olim luminare majus, ut præeſſet diei; nunc poſuiſti tenebras, & facta eſt nox. Iterum nempe abſcondit ſe Jeſus, & vel ſciſſo velo exit de templo, nunquam rediturus. Neque luce mundi hujus indiget, qui ante lucē creatam in tenebris non fuit: in Deo tenebræ non ſunt ullæ.

Ecce umbram, quæ in horologio crucis monſtrat, decem integros gradus receſſiſſe ſolem juſtitiæ, poſt Angelorum novem Choros etiam noviſſimum inter homines factum. Jam mundus ſcire poteſt, ô JESU! quòd tuus eſt dies, & tua eſt nox: (ſi naſcentem morientémque videat) & quòd tu fabricatus es auroram & ſolem. Tacens oras Patrem tuum nunc in abſcondito, & Pater tuus, qui videt in abſcondito, reddet tibi. In tenebris fugiſti in Ægyptum: in tenebris docuiſti Nicodemum: & niſi Angeli de luce proſpexiſſent, in tenebris natus eſſes. Et licèt hoc tibi etiam detur, ut in tenebris moriaris; verba tamen tua, quæ his in tenebris dixiſti, in lumine totius mundi dicentur. Cælum fortè & terra in hoc mortis tuæ & mundi Cataclyſmo tranſibunt; verba tamen tua, licèt in tenebris dicta, non præteribunt.

O noctem Ægyptiacam, qua primogenitus Dei & Mariæ interficitur. Cæleſtium caſtrorum militia malitiam hanc videre quomodo potuit? debebant aſtra coire in cometas, & minari; accendi in fulmina, & ferire tot quinquagenarios & centuriones, qui virum Dei, Deum deſcendere de cruce jubent.

O popule ſtulte & inſipiens! ecce ſedes in tenebris. Quòd ſi etiam lumen, quod in te eſt, tenebræ ſunt, ipſæ tenebræ quantæ erunt!, non magnopere, ut video terremini: dilexiſtis enim magis tenebras, quàm lucem: ſunt enim opera veſtra mala. Adhuc modicum lumen in vobis eſt: ambulate, dum lucem habetis, ut non vos tenebræ comprehendant exteriores, interiorum ſupplicium. Lux vera, quæ illuminat omnem hominem in hunc mundum, pendet in tenebris, haberétque opus Joanne, ut veniret in teſtimonium, & teſtimonium perhiberet de lumine, ut omnes crederent per illum: ſed oculi veſtri vitio veſtro gravati ſunt. Quæretis eum, & non invenietis, & in peccato veſtro moriemini, quia meremini.

O JESU! qui lucem habitas inacceſſibilem, ubi ſerena jucunditas, jucunda ſecuritas, ſecura æternitas, æterna felicitas! illuminare his, qui in tenebris & umbra mortis ſedent, ut in his tenebris exoriatur lumen rectis, ſitque ſplendor Domini Dei noſtri ſuper nos; ut

quos

quos honores fecit cælum ignoto Deo in tenebris, eos innotescere faciamus toti mundo in lumine.

Quæ palpabiles tenebræ intulerunt damna, lux tractabilis rependit super candelabrum crucis, & Calvariæ modium posita. Ambulate sanè, dum lucem habetis. Ad genium cuique suum facit bene JESUS: scit hostes suos, quia malè agunt, odisse lucem. Ji ne erubescerent, cum cæli terræque dispendio tenebras creat, ne luce solis interturbentur. Pater JESU solem suum oriri facit etiam super malos; JESUS eum obscurat etiam super bonos, ne malos confundat: malè namque agentibus omne lumen invisum est, illud potissimùm, quod è cælo est: tanta tamen nox esse non potest, ut certa ad Deum via non pateat.

Sed, ô bone JESU! quid est quòd dixisti: ad Patrem vado, &, qui sequitur me, non ambulat in tenebris? Ecce nunc in manus Patris commendas Spiritum tuum, & nunc Domine, in tenebris, quo vadis? quid est, quòd dixisti: Ignem veni mittere in terram; & quid volo, nisi ut accendatur? Ecce nunc extinguis. quid est, quòd, ô lux mea! nocte mundi & nasci & mori voluisti? an quia peractâ tragœdiâ lumina subtrahere spectatoribus voluisti, non ampliùs profutura? an quia Palatium Calvariæ his tapetibus oportebat ornari? an quia mysteria tua abscondisti à sapientibus & prudentibus hujus mundi, & revelâsti ea latroni & Centurioni parvulis! certè & his & omnibus rectis exortum est in tenebris lumen, & quem hæ tenebræ Judæis abscondunt, fidelibus revelant Deum, & quem misit, JESUM Christum: in quo quia Deus & lux est, tenebræ non sunt ullæ; nec opus est, ut claritatem accipiat ab hominibus, qui in tenebris & umbra mortis sedent, olim sessuri in tenebris exterioribus; in quas à Rege suo, quem crucifixerunt, rebelles filij servíque ejicientur.

Justus es Domine, & rectum judicium tuum. Lux venit in mundum & dilexerunt Judæi magis tenebras quàm lucem. Hinc impij isti in tenebris conticescent, nec habebunt, quod respondeant unum pro mille. Olim ubicunque erant filij Israël, lux erat. Alia nunc sunt tempora, quia alij homines: ubicunque nunc sunt degeneres filij Israël, tenebræ sunt.

XXXI.

XXXI. MONVMENTA APERTA.

VEnit hora & nunc eſt, quando mortui audient vocem Filij Dei, & qui audierint, vivent. Extremum Diem ſuſpicantur è ſignis mortui, & tubâ nondum auditâ noviſſimâ, jam reſurgunt. Gratiam eandem, quam JESUS præbuerat vivis, ſervavit & mortuis. Noctem iſtam ne ſomno natam putaret mundus, corpora, quæ dormierant, ſurrexerunt. Perire enim & mori Deum poſſe non crederent, niſi iterum viverent & viderent. Exauditæ ſunt damnati epulonis preces, & plures uno ex mortuis ad urbem mittuntur, & apparent multis. Stat tamen & ſua verbis Abrahami veritas: nam qui Moyſi & Prophetis non crediderunt, nec his quoque fidem habuere. Reſurrectio noſtra credenda eſt, non inveſtiganda; exemplis probari poteſt, non ratione.

XXXII. PETRÆ SCISSÆ.

QUia Judæi ad tot portenta tacent, ecce lapides loquuntur: ex quibus jamjam, ſi opus eſt, facturus eſt JESUS filios Abrahæ. Aptiores operi ſunt ipſis Judæis. Pedes petræ & ſaxa non habent; & tamen diſſiliunt: linguam non habent, & tamen amplum perhibent teſtimonium Deo mortuo: Cor non habent; & tamen, quid corda hominum facere oporteat, docent. Quòd non fleant, ſiccitate ſua ſe excuſant, datura promptè & oleum & aquas, & quidquid liquoris eſſet, ſi iis ineſſet. Nova Eccleſia novum templum deſiderat. Jam fabricatur, jam petræ ſciſſæ ſunt, & fundamenta cum monumentis aperta, quin & terra mota & remota ſpatium præbet. Adſunt quoque multa corpora Sanctorum pro reliquiis ſervitura: denique ut nihil fabricæ deſit, Adami nunc in cruce morientis coſta in primi fundamenta lapidis ponitur, cui tota inædificetur Eccleſia.

XXXIII. TERRÆ MOTVS.

VEnite & videte opera Domini, nunquam res talis facta eſt in Iſraël, ex quo aſcenderunt Patres noſtri ex Ægypto, aut ex quo gentes

gentes esse cœperunt usque in præsens tempus. Turbatur Universum, & mundi machina si non dissolvitur, certè concutitur: aut quia dolet, quemadmodum doleri solet in morte unigeniti heredis & domini domûs: aut quia restaurari & recreari à creatore suo se sentit. Quid est, ô bone JESU! quòd è cælo descendisti, cùm silentium tenerent omnia; quoties verò ascendis, cum tumultu ascendis? ita ut nec piscatoriam, qua veharis, cymbam ascendere possis, quin motus magnus fiat in mari; nec in crucem, quin fiat motus magnus in terrâ. Adeò in mundo fit ascensus nullus cum quiete.

Unà cum hominibus etiam ipsam terram reperit JESUS mortuam. Ab origine mundi usque ad mortem Christi non nisi semel cespitâsse apud Zachariam legitur; vitæ tamen signum dedisse nunquam. Nunc moriente Christo vitam terra accipit, dátque indicium vitæ, motum, gestientis & exultantis in morem. Utinam etiam commoverentur omnes habitantes in ea! Sine gravi causa terra, quæ gravis est, non contremiscit; quia sine gravi causa capillus quantumvis levis de capite hominis non perit. Minor fuisset Christo moriente concussio, si petra, supra quam tota statura erat Ecclesia, immota stetisset, & ad ignem aulæ scissa non fuisset.

XXXIV. VERBA B. V.

S. Brig. l. 1. c. 10.

UNus adveniens affixit lanceam in latus ejus tam validè, ut penè per aliud latus ejus transiret: & cùm extraheretur hasta, apparuit cuspis rubea sanguine. Tunc mihi videbatur, quòd quasi cor meum perforaretur, cùm vidissem cor filij mei perforatum.

L. 4. c. 70. Modico autem tempore pòst, aperto latere & extractâ lanceâ sanguis in cuspide quasi brunei coloris apparuit, ut ex hoc intelligeretur, cor transfixum. Quæ punctura cor meum penetravit, & mirum fuit, quòd & ipsum non crepuit.

B. V. Revelatio. l. 7. c. 15. Et sic stantibus turbis in circuitu, venit unus accurrens cum furiâ maximâ, & infixit lanceam in latere ejus de-

xtro tam vehementer & validè, quòd quasi per aliam partem corporis voluit pertransire: quòd cùm extraheretur lancea de corpore, statim abundanter exibat de vulnere illo cum impetu quasi quidam fluvius sanguinis: ferrum verò lanceæ & aliqua pars hastæ rubicunda exibat de corpore, & intincta sanguine. Quæ videns mater ita vehementer contremuit cum amaro gemitu, quòd bene cernebatur in ejus facie & gestu, quòd anima ejus tunc penetrabatur acuto doloris gladio.

XXXV. LONGINUS.

ECce vim patitur regnum cælorum, & violentus centurio Longinus rapit illud. Verè violentus, quia fortior quàm ipse sciret. Nescivit enim, uno ictu vulnera se infligere duo, credebat se mortuum vulnerare, cùm tamen & vivam tangeret: destinabat ferire corpus, & animam pertransibat, lanceâ in doloris gladium versâ, providente & prædicente præsago jam olim Simone. Hæc peccatorum fœcunditas est, ut plùs noceant, quàm præ se ferant. Carnificis fuit hic ictus, non militis: merebatur & baltheo privari & exauctorari, quòd servo & suadenti, & lanceam dirigenti centurio obtemperâsset, fecissétque scelus, quod vel servum dedeceret. Maledictus, qui facit cæcum errare in itinere.

Sed ecce judicia DEI abyssus multa! hinc terra tremit, pavent cælo. Oza Arcam tangit, & punitur: Longinus latus Domini sui ferit; & præmiatur; osculatur Judas JESUM, & de ore ad os, de facie ad faciem loquitur; & excæcatur & induratur: ferro cor ferit ferox Longinus; & mollitur & illuminatur. Reparare JESUS in Longino destinat lubricam oculorum facultatem, qua homo tam malus est, sine qua tam miser. Sancti cruoris gutta è latere Christi baptizat oculos peccatores: ecce Baptismum fluminis & sanguinis, quin & flaminis. Sic JESUS sol Oriens cæcos illuminat, ne desperent, qui sedent in tenebris.

Magnus es tu, ô Longine, & verè faciens mirabilia! est Hierosolymis piscina, quam descendens de cælo Angelus movet, & ad motum aquæ

aquæ sanatur unus de multitudine languentium magno miraculo, quod vel Angelo gloriosum est. Ad motum aquæ, quem tu in crucifixi latere fecisti, de multitudine languentium nemo non sanatur, nisi qui in eam descendere recusat. Tu ipse rei fidem facis experimento tuo. Paulò minor Angelo Moyses virgâ suâ mare rubrum diviserat levi ictu, per quod populus transiens, iterum periret in deserto. Quam tu nobis viam fecisti per apertum lanceâ cor JESU, ea maris rubri via est, & secura: in qua nemo perire potest, nisi qui vult; tantæ insuper amplitudinis, ut non jam populus unus nocte una, sed omnes tribus terræ momento quovis & pede sicco transmeare, si velint, possint. Tu Gazophylazium thesaurorum DEI aperuisti, unde nemo recederet pauper. Et verò ut faciliùs intraremus hæc tanta amoris adyta, clavis consignanda erat militi.

Labora nunc Longine, sicut bonus miles Christi, & stipendium spera. Promoveberis & mutaberis in virum alterum. Dispensator factus sanguinis Christi, sacerdotio dignus es & mitrâ. Cæcus in nativitate, in latere JESU, velut natatoria Siloë, lavisti, & vidisti; & in hoc cognovisti, quoniam vir Dei, imò filius DEI erat iste. Pectus tuũ percute, quod cor ejus percusseris; cujus nec pedes osculari dignus eras. Revertere: & quia ex ore laudantis probatur homo, eum glorifica, quem alij spernunt: eum time, ut ab eo ameris: quia & ipse suos in finem dilexit. Nam & caput inclinavit ad osculum, & manus proforavit ad liberalitatem, & brachia extendit ad amplexum: & pedes fixit; ut maneret: & latus aperuit, ut diligeret: & totum se pro nobis extendit, & expendit, ut sciremus nobis natum, nobis datum.

XXXVI. LATVS APERTVM.

SIC est, ô anima mea! sic oportuit Christum pati, & sic intrare in gloriam suam, uti ferrum intravit in cor ejus: nam Regnum cælorum vim patitur, & non nisi violenti rapiunt illud. Venales sunt tituli honoratiores; sed sine sanguine non habentur. Nec nomen qui-

dem acquisivit sine vulnere, quantumvis à Deo datum super omne nomen: oportuit sanguine scribi nomen. Ita Deo ne binæ quidem syllabæ gratis dantur: tam diu sine nomine, quamdiu sine vulnere.

Latus Christi, si nescis, habitatio nostra est. Extraneum puta, quem hîc non repereris. Et quod mireris; habitatio est nulli non conveniens statui. Columba es? nidus tibi est. Passer & solitarius? tectum habes. Sponsa es? en thalamum. Turtur es? en locum requietionis. Rex es? eccePalatium. Pauper es? cavernam maceriæ habes & foramen petræ: nam petra Christus est. Esuris? hinc manna collige. Sitis? bibe è Paradisi fonte. Cherubini gladius in Longini lanceam versus est; hæc in clavem, quæ ostium Paradisi aperiat. Per hoc intrandum est in ovile paradisi, non aliunde.

Hîc, ô anima mea! sacrificium pro reconciliatione generis humani consummatum est: hîc sigillatum; ubi Sacerdos Christus, templum pectus, altare cor, victima voluntas, ignis charitas, thus gratiarum actio. Hîc hîc JESUS meus cum clamore valido & lacrimis & gemitibus inenarrabilibus pro nobis orans, pro suâ reverentiâ exauditus est. Scisso velo templi; scisso latere Christi, nihil nec in veteri, nec in novo Testamento hominib⁹ clausum. Aperiuntur sepulchra, scinduntur petræ, finditur terra, ruptóque in partes velo ipsa templi adyta & sancta Sanctarum etiam profanis patent. Solus homo oculos tunc claudit, cùm minimè deberet; indignus solatio: quo perfunderetur, si chirographum redemptionis suæ legeret, quod Deus tribus illis, quibus mundum appendit, digitis scripsit; vulnere pro atramentario, sanguine suo pro rubricâ, lanceâ pro calamo usus.

Errant, ô Domine! & ipsi se decipiunt, qui putant, cor tuum vulnus accepisse primùm à Longino. Jam olim ab amore vulneratum, nunc tantùm apertum est. Lancea Longini doloris gladius fuit, qui Mariæ Matris tuæ & cor & animam pertransivit. Tunc illa, te non sentiente, indoluit. Laborârunt Judæi in aperiendo latere Christi, & nos Christiani in labores eorum intravimus. Habes hîc, ô anima mea! bona plurima in annos plurimos, quiesce, fruere. Signum magnum in

in cælo est & sidus novum, hoc vulnus. Gaude Aquilo, quòd te respiciat.

O quàm felix essem, si cor meum spongia esset ad torrentem hunc sanguinis excipiendum! Si manus meæ essent manus Thomæ, ut exta victimæ hujus per fructuosam anatomen scrutari liceret! adeste, quotquot estis amaro corde: Hîc favus mellis est, quem Leo de tribu Juda, non timendus, quia mortuus, etiam timidis hiatu aperto offert. Immergite corda, & omnis amaritudo auferetur. Caminus mihi sit & clibanus amoris, ô JESU! hoc latus tuum. Hoc in camino liquetur & fundatur cor meum in formam cordis tui; vel si liquari non queat, quia lapideum est; hoc in mortario, cui lancea pro pistillo est, teratur, ut cor contritum quasi cinis mereatur, ut tu olim habeas curam mei finis.

Domine! quando veneris judicare terram, ubi me abscondam à vultu iræ tuæ? quando cæli movendi sunt & terra, ubi consistam immotus? Dum veneris judicare sæculum per ignem, ubi morabar non læsus? quando clamabunt multi: montes cadite super nos, & colles, operite nos; ubi me abscondam tunc à vultu iræ tuæ? scio, quid faciam tunc, cùm petieris à me rationem villicationis meæ. In hac maceriæ caverna, in hoc foramine Petræ, in hoc vulnere tuo me abscondam. Hinc felix tibi, ô Anima mea! resonabit Echo. Nam si Pœnitentiæ dolor expresserit tibi vocē, Perdono; dono respondebit ex hoc caverna felicissima Echo: & tu accipies hoc verbum ex ore ejus, quin vivit & vivet (inquies) amicus tuus Benadad, olim inimicus.

Nec scio, an ægris piscina alia probatica, quinq; porticus habens, quærenda sit, ex quo quintam nunc aperuit Longinus. Et si hominem non habes, qui te immergat: Ecce Homo, qui sit adjutor tuus. Necessaria fuit in arca Noëtica lateris fenestra, per quam Noë videri & videre posset. Sine hac lateris apertura fuisset, nec videre ampliùs nos JESUS clausis poterat oculis, nec à nobis videri ipse, & causa mortis ejus, quam in scrinio pectoris sui reclusam habebat; ignorante Pilato. Per aliam fenestram videri amor non potuit, certè non voluit.

Si nervi & venæ JESU mei chordæ sunt, & corpus ipsius pro corpore testudinis est; nec clavi desunt, quibus chordæ tendantur. Lateris hoc vulnus rosa erit, quâ sonus, qui clamore valido, suspirijs, & gemitibus inenarrabilibus fit, amoris dulcedine temperatus svavior ad aures Patris veniat, conceptámque iram mitiget. Non est hîc aliud, ô Anima mea! nisi domus Dei & Porta Cæli; per hanc si quis introjerit, salvabitur. Per hanc ad secretam cælestis regis audientiam intratur; sed non nisi amicis patet. His hæc agni paschalis pars reservata est de industriâ, longè sapidior illo bovis armo, quem Samuel, quamvis Videns, Sauli de industria servavit. Hinc juge in cæli solario convivium; unde postquam interni vincula soluta sunt, nemo ampliùs ligatis manibus pedibúsque eijci foras poterit. Fixit hoc in latere Longinus terminum tam dolorosæ via. Plùs ultra ut Deus det, Homo petere non potest: postquam habet iridem pacis, & sigillum decreti. Nec superest, nisi ut postquam ira Domini in tantam misericordiam conversa est, Homo paria referat Deo. Et facilè potest: quia Porta Jubilæi aperta est, nunquam claudenda. Hinc Indulgentiæ petuntur. Hàc iter ad cælum est. Hæc porta illa arcta est & angusta. Per hoc ostium qui non intrat, fur est & latro, Judæ laqueo dignus. Inter alia monumenta aperta, est etiam latus Christi, unde sepultus amor exivit, causâ mortis, quam nemo quantumuis lotus Judex in eo invenire poterat. Jam inventa est. Doctrina amoris hoc ore explicanda erat. Quare itaque aggravatis corda vestra filij hominum? redite prævaricatores ad cor: exijt sanguis in potum, aqua in Baptismum: gaudete pastores Abraham, invenimus aquam.

O JESU! nunquid est cor tuum rectum cum corde meo, sicut cor meum rectum est cum corde tuo? scio, cor contritum & humiliatum tu Deus non despicies. Nec ignoro, quòd probes corda, & simplicitatem diligas. Si sic est, tempus igitur est, quo percutientibus pectora sua, auferas cor lapideum de carne eorum, & des eis cor carneum, & cor mundum crees in eis, paratúmque. O Deus! in hoc toto & uno corde confitebimur tibi. Scio, scio, quòd, quando accedet homo

ad cor altum, exaltabitur Deus. Atque utinam secundùm multitudinem dolorum meorum in corde meo consolationes tuæ lætificarent animam meam. Audite, qui duro corde estis, & longè à Justitiâ. Audi popule stulte, qui non habes cor. Audite cæli, & auribus percipe terra. Nunquam sic de corde ad cor locutus est Homo, & Homo, qui novit solus corda omnium filiorum hominum. Si non resistis, ô Homo! circumcidet Dominus cor tuum, ut diligas Dominum Deum tuum ex toto corde tuo: neque est, quod ampliùs quidquam timeas.

Si cor sapientis quærit doctrinam; ecce in scrinio pectoris Christi sunt omnes thesauri sapientiæ & scientiæ Dei. Verè thesaurus in agro Calvariæ absconditus, quem qui invenit homo, præ gaudio vadit & in Ætna, illâ amoris felici alchimiâ contundit cor suum cum corde Jesu, ut sit eorum posthac cor unum & anima una. Inclinemus itaque corda nostra, & præparemus ea Domino, ut serviamus ei soli, sítque cor nostrum perfectum cum Domino Deo nostro, & accedamus cum vero corde in plenitudine fidei; ut velut vas electionis impleatur sanguine Christi. Non omni posthac homini reveles cor tuum, ô anima mea! sed omni custodia custodi illud; quia ex illo sic emendato vita procedit, ex quo illud JESUS inclinavit in testimonia sua.

JESUS itaque meus mihi liber est, in quo omnis scientia salutis, scriptus intus & foris, intus lancea, foris coronâ & flagellis. Liber hic titulo præfixo Patri æterno efficacissimâ præfatione dedicatus, & in manus ipsas commendatus est: scriptus digito Dei, pennâ S. Spiritûs, in Incarnatione; editus in lucem, in nativitate; rubricatus, in Circumcisione; approbatus à Patre, quando in eo sibi complacuit. Inauratus charitate, sublatus furto & venditus triginta argenteis. Reprobatus & prohibitus, ut falsus, ab inquisitione sacerdotum. Scissus in passione, laceratus in cruce; ut tempora illius impij Regis redijsse viderentur, à quo legi factum est, quod in cruce fiebat legislatori.

XXXVII.

XXXVII. SANGVIS LATERIS.

HIc divini amoris imber parum boni portendit peccatoribus obſtinatis. Galilæum viciſſe certum eſſet vel apoſtatæ Juliano, ſi præſens eſſet; quia ſanguis ſpargitur in cælum. Aliud philtrum conciliandis amoribus hominum non habet Deus. Ignis, quem venit mittere in terram, lanceæ ferro excuſſus teſtatur, non eſſe frigidum amorem, quo nos proſequitur JESUS. Quot guttæ ſanguinis, tot ſcintillæ amoris ſparguntur. Veniat, ô veniat ſanguis ſuper nos. O JESU! anima omnis carnis in ſanguine eſt: & ideo ut me amares ex totâ animâ tuâ, totum pro me ſanguinem dediſti. Hic mori ſanguis eſt, quo Martyres, Elephantorum more, in prœlia animantur.

XXXVIII. AQVA LATERIS.

OMnes ſitientes venite ad aquas. Ecce fons Paradiſi in quatuor flumina diviſus, ut irriget univerſam terram. Pugnaturus, ô Homo! cum turre carnea, vel cum gigante faſtuoſo, vel cum Goliatho infernali, ad hunc lateris Chriſti fontem accede: hinc quinq; limpidiſſimos lapides tolle, his pugna Hæc tibi arma ſunto; pro gladio crucis baculum, pro funda funes accipito.

Gaudeant peccatores, quorum peccata ſunt ut coccinum. Fient alba ſicut nix, qualia non poteſt facere fullo ſuper terram. Piſcina hîc eſt & quidem probatica: quinque porticus habet; & quantumvis ſit magna multitudo languentium; ſufficit tamen, quia pro multis hæc aqua movetur, & effunditur in remiſſionem peccatorum.

Ecce aquam, Anima mea! quid prohibet baptizari? licet, ah licet; ſi ex toto corde credis: & cùm liceat, cur non etiam libeat trina immerſione abluere nævum, quo térq; quatérq; fœdata, Deo, proximo, & tibi diſplicuiſti. Has cataractas cæleſtes jam olim JESUS Samaritanæ promiſſit, ſedens ſic ſupra fontem. Poterat jam illa abluere his quinque ſcaturiginibus libidinem ſuam, cui nec ſextus vir ſuffecerat. Promiſerat tum aquam in cælum ſalientem nullo noſtro bono. Eſſemus, qui

qui fuimus, nisi, ut sanguis in Oliveto, decurrisset in terram: quæ utique sitiebat, quando sic crepuit, ut & monumenta aperirentur, & scinderentur petræ.

Candidus JESUS & rubicundus, natus in terrâ lacte & melle manante, quique lac Virginis, & mel cæli gustaverat; ut sciret reprobare malum & eligere bonum, facilè dare nobis ex latere poterat lac & mel; qui Catharinæ lac, Ambrosio mel daturus erat. Sed necessitatibus sponsæ Ecclesiæ consulendum erat, quæ tunc dulcibus opus non habebat, (ut quibus ablui non posset) sed sanguine & aqua; dulcia differens, non auferens. Et tres sunt, qui necessitatis hujus testimoniũ dant in terra, spiritus, sanguis, & aqua: nec pauciores in cælo.

XXXIX. LANCEA.

ECce hasta Regis, transeat unus de pueris Regis, & tollat eam. Digna est sanè, quæ non pereat. Latuit tamen aliquando: sed revelante Andrea Apostolo, itum est in viscera terræ, & erutum est ferrum non ampliùs nocens, quia sanguine Christi mollitum.

Cor JESU Magnes amoris est, quia Deus Charitas est. Ferrum lanceæ ut cor tetigit, quàm primùm virtutem, quæ de corde exibat, recepit, trahendis nunc cordibus, quæ ex ferro sunt, aptum; si modò se tangi permittant: magnetis enim naturam quia ferrũ ex hoc contactu induit, tangendo nunc facit, quod antè non poterat feriendo. Imò considerata solùm hæc lancea, cor nostrum fortificat, roborat pectus, & tristitiam, quæ hæret in hypochondriis, temperat. Decem millia talenta debeo servus nequam, & iniquus villicus: quomodo solvere possem ultimum quadrantem, nisi lancea hæc aperuisset ærarium, unde lytrum animæ meæ sine furto acciperem? Quò me absconderem ab irâ Dei, sive in cælo sursum, sive in terrâ deorsum, nisi Longinus hâc lanceâ & hanc petræ Cavernam & ipsum paradisum, quem flammea Cherubini machæra clauserat, aperuisset?

XL. PECCATOR.

ECce, ô peccator! quomodo moritur Justus, & nemo est, qui recogitet corde? Angustiatur, ut te liberet; tristatur, ut te consoletur; timet, ut tu sis cordatus; insidias patitur, ut te custodiat; vigilat, ut tu exciteris; orat, ut tibi impetret; sudat, ut tu laveris; ligatur, ut tu solvaris; venditur, ut tu redimaris; negatur, ut te confiteatur; accusatur, ut tu excuseris; despicitur, ut tu honoreris; oculos claudit, ut tu aperias; nudatur, ut tu vestiaris; cadit, ut tu surgas, pedibus figitur, ut te expectet.

Omnibus membris pro te passus est. In capite coronam, in facie sputa, in genis alapas, in barba vellicationes, in lingua siccitatem, in collo colaphos & catenam, in humeris crucem, in brachijs extensionem, in manibus clavos, in latere perfossionem, in oculis velamen, in pedibus clavos, in toto corpore nuditatem & flagellationem, in ossibus, visceribus, venis, nervis extensionem, in vitalibus sanguinis effusionem.

Nullus sensus sine dolore. In oculis Mater, in auribus blasphemiæ, in naribus sputa, in gustu fel & acetum, in tactu vulnera, in anima tristitia, dolor. Sed similia jam olim pro te, ô peccator! passus in fratribus velut membris. Nam est occisus à fratre in Abele, irrisus à filio in Noë, immolatus à Patre in Isaac, venditus à fratribus in Josepho, fugatus à filio in Davide, sectus in Isaia, in lacum dejectus in Jeremia, alapâ percussus in Michæa. Ita Agnus ab origine mundi occisus, nunc in se ipso patitur pro te.

Sed & cùm viveret, utilis fuit omnibus vita illius. Nam si docebat, ignorantes revocabat. Si solabatur afflictos, pauperum inopiam sublevabat. Si loquebatur, stupebant omnes. Si tacebat, mirabantur. Si tangebat aquam, faciebat vinum. Si tangebat vinum, faciebat sanguinem. Si tetigit lepram, eam mundavit. Si panes, eos multiplicavit. Si tangebatur ipse, fimbria vestis sistebat morbos. Si præcipiebat, paruere venti & mare. Si disputabat, silentium imponebat adversariis. Si quos vocabat, relictis omnibus veniebant ad eum. Si spuebat, curabat cæcos. Si scribebat, liberabat

bat reos. Si orabat, impetrabat omnia.

Eamus & nos, & moriamur cum eo. Verè ejus potentia nos formavit; ejus bonitas nos reformavit. Si totum te debes, ô peccator! pro te facto, quid debes pro te refecto? Mirabiliter conditus es, sed mirabiliùs redemptus. Ex novitate remedij, ô peccator! collige periculi tui magnitudinem. Agnosce gravitatem vulnerum tuorum, pro quibus necesse fuit Dominum vulnerari; ut de sanguine ejus tibi fieret medicina. Si vulnera tua, ô peccator! non fuissent ad mortem, & mortem sempiternam, nunquam pro eorum remedio Dei filius mortuus esset. Olim servus pro Domino mortem subiit. Brevis facti brevis narratio; nec tamen parva laudis materia. Quid si Dominus formâ servi acceptâ pro servo mori voluisset? O inæstimabilis dilectio charitatis! ut servum Deus redimeret, filium in forma servi tradidit. O peccator! dilexit te Dominus plùs quàm se, quia mori voluit pro te. Animam tuam magis dilexit, quàm vitam suam; cùm pro te mortuus sit, ut tu viveres. Vive itaque, ô peccator! & scito, vitam vitæ mortalis esse spem vitæ immortalis: neque unquam gratiam fidejussoris tui obliviscaris. Ille enim animam suam posuit pro te.

STATIO V.

LOCUS B. V. STANTIS.

Loco Crucifixionis Domini ad lævam & meridionalem partem est locus, in quo stetit B. V. cum Joanne tempore crucifixionis. Hîc positum est sacellum, longum palmos quindecim, latum undecim circiter, exteriùs interiúsque affabrè factum. Priusquam hinc abeamus, cum Matre dolorosa duo nobis consideranda sunt.

1. Verba B. V.
2. Mater dolorosa.

I. VERBA B. V.

S. Brig. l. 1. c. 35.

COnsidera, filia, passionem filij mei, cujus membra fuerunt mihi quasi membra mea, & quasi cor meum. Nam ipse, sicut alii filij in visceribus Matris solent esse, sic fuit in me: sed ipse conceptus est ex ferventi Charitate divinæ dilectionis; alii autem ex concupiscentia carnis. Unde bene dicit Joannes consobrinus ejus: Verbum caro factum est: nam per charitatem ipse venit, & erat in me. Verbum autem & charitas ipsum fecerunt in me: ipse quippe erat mihi quasi cor meum. Propterea cùm nasceretur ex me, sensi ego, quòd quasi dimidium cor meum nasceretur & exiret ex me. Et cùm ipse pateretur, sensi quòd quasi cor meum patiebatur. Sicut enim, quod dimidium est extrà & dimidium intrà, & si illud pungitur, quod est extrà, æquè sentit dolorem, quod intus est: sic, cùm flagellaretur & pungeretur filius meus, quasi cor meum flagellabatur, & pungebatur. Ego enim fui propinquior ei in passione, nec separabar ab eo. Ego stabam viciniùs cruci ejus: & sicut hoc gravius pungit, quod vicinius est cordi, sic dolor ejus gravior erat præ cæteris mihi. Cúmque respexisset ad me de cruce, & ego ad eum, tunc de oculis meis quasi de venis lachrimæ exibant. Et cùm ipse me cerneret dolore confectam, in tantum amaricabatur de dolore meo, quòd omnis dolor vulnerum suorum erat quasi sopitus sibi præ dolore meo, quem in me videbat. Propterea audacter dico, quòd dolor ejus erat dolor meus, quia cor ejus erat cor meum. Sicut enim Adam & Eva vendiderunt mundum pro uno pomo; sic filius meus & ego redemimus mundum, quasi cum uno corde. Ideo filia mea cogita, qualis ego eram in morte filij mei; & non erit tibi grave, relinquere mundum.

II. MATER DOLOROSA.

STabat Mater dolorosa juxta crucem lachrimosa, dum pendebat filius. Cujus animam gementem, contristantem & dolentem, per-

pertransibat gladius. O quàm tristis & afflicta, fuit illa benedicta Mater unigeniti! videns pendentem è cruce filium, ut ipsa in altari crucis sisteret eum Domino, & pro mundi salute offerret. Lacrimâsse sanguinem, non dubito. Offert itaque Maria, quia nemo alius, sanguinem filij in suo, imò seipsam cum filio velut par turturum aut duos pullos columbarum. Nobilitas Christi nascentis, fuit in virginitate parientis; & Nobilitas Mariæ parientis, fuit in divinitate nascentis. Hinc nobile sacrificium Deóque acceptum.

Quis dabit capiti meo aquam, inquiebat dolorosa Mater, & oculis meis fontem lachrimarum? verè posuit me Dominus desolatam & toto die mœrore confectam. O fili mi JESU! JESU fili mi! quis det, ut moriar pro te, Fili mi JESU! JESU fili mi! O vos omnes, qui transitis per viam, attendite & videte si est dolor, sicut dolor meus. Christo confixa sum cruci, & stigmata JESU filij mei in corpore meo porto.

Quis est Homo, qui non fleret, Christi Matrem si videret in tanto supplicio? Sed non est, qui consoletur eam de semine virorum istorum usque ad unum. Vt sint mulieres cæterà clamosæ; nulla tamen nunc adest, quæ attollens vocem de turbâ, beatum Mariæ ventrem prædicet, beata viscera. Solus in Maria amor esset, si spes comes amoris non adesset. Expecta Dominum ô virgo! viriliter age, confortetur cor tuum, & sustine Dominum: quem nunc in cruce vides lachrimosum, videbis paulò pòst gloriosum.

STATIO VI.

LOCVS LVDI.

A Cappella S. Longini duodecim gressibus est Cappella, quæ vocatur divisionis vestimentorum Christi. Hîc creduntur sortem misisse milites. Lapis Porphyreticus Romæ in Templo S. Ioan. Lateranensis est, super quo dicuntur lusisse. Priusquam hinc abeamus, cum Matre dolorosa nobis considerandi sunt Lusores.

LVSORES.

DE vestimento quid soliciti estis, ô milites, nisi quia postquam sedistis comedere & bibere, nunc decet ut surgatis & ludere? Ita fit. Si damnosa senem juvit alea; ludit & hæres. Et miles vix quidquam acquirit, quod non lucretur. Quid, inquam, de vestimento soliciti estis, cujus sit? Matri ostendite, discernet illa bene, num tunica filij sui sit, quem fera pessima devoravit. Sed vestimentorum pars dividenda est, & super vestem inconsutilem mittenda sors. Ita in comitijs horum militum decretum est. Qui victor futurus est, vendet tunicam hanc, & gladium emet, quo puniatur. Hoc lucrum esto.

Et verò putem plus lucri fecisse milites ex vestibus distractis, quàm Judas fecerit è vendito JESU. Integra una est, quam vel ideo scindi JESUS non voluit, ut probaret, quàm amaret integritatem in moribus, qui eam ne lædi quidem pateretur in vestibus. Mundæ sunt vestes. Nam ne quid sordium contraherent à pedibus Judæ, linteo se præcinxit in Cœna. Medicandi vis etiamnum ijs inest tanta, ut si quem tangat vel fimbria, sanetur, lucrúmque faciat totius substantiæ suæ, aliàs in medicos expendendæ. Hoc mnemosynon lictoribus JESUS non coactè sed sponte reliquit; ut non tantùm bene fecisse posset dici omnia, sed etiam omnibus. Tanti igitur pretij cùm sint vestes illius, qui lilia agri vestit; mirari desino rixatos pro ijs milites quatuor, velut quatuor orbis partium legatos, quis quid tolleret. Tanti est, vera veste nuptiali indutum esse; ut nec primis quidem parentibus licuerit comparere nudis. Dixerat JESUS, qui duas tunicas habet det alteram non habenti. Plus facit JESUS, quàm nobis præcipiat. Vtrâque se spoliat etiam tum, cùm maximè indigebat, ut det non habentibus protoplastis nostris Adamo unam, & Evæ alteram. Atque hæc tota JESU cogitatio est, exui vestibus, ut nos induamus Dominum nostrum IESUM Christum.

Malè expectat, qui pendet: & tamen JESUS in cruce pendens expectat & reexpectat, & milites sedentes, & cives prætereuntes, & sacer-

ſacerdotes blaſphemantes, & populum ſtantem, & principes deridentes, ſi fortè convertantur à viâ ſuâ malâ: ſed fruſtà. Nam ſicut populus, ſic & ſacerdos: & ut alios ſalvos fecerit; putáſne & hos ſalvare poterit JESUS?

Hæc tamen tam morientis quàm naſcentis JESU gratia eſt, ut ſpectatores ejus revertantur, glorificantes & laudantes Deum in omnibus. Hoc verè eſt reverti. Pœnitemini igitur & convertimini, dignóſque fructus pœnitentiæ facite, ut deleantur peccata veſtra. Revertimini ad me, & ego revertar ad vos, dicit Dominus. Peccâſtis cum patribus veſtris, injuſtè feciſtis, iniquitatem egiſtis. Væ vobis, quia peccatum grande peccâſtis! ſed quotuſquiſque veſtrûm eſt, qui palàm agat pœnitentiam ſuper peccato ſuo dicens: quid feci? Quidam dicebant, quia bonus eſt; alij autem dicebant, non, ſed ſeduxit turbas: nemo tamen palàm loquebatur propter metum Judæorum; licet multi percutientes pectora ſua reverterentur.

STATIO VII.

LOCVS DEPOSITIONIS.

LOcus hic eſt inter crucem & lapidem unctionis. Traditio eſt, & etiam conſtat è revelatione B. V. JESUM à cruce depoſitum ſuper genua B. V. ſedentis fuiſſe poſitum, dum Joſephus & Nicodemus pararent ſindonem & aromata in ipſo lapide unctionis. Priuſquam hinc abeamus, cum Matre doloroſa nobis decem conſideranda ſunt.

1. Verba B. V.
2. Depoſitio.
3. Verba B. V.
4. Chriſtus ſuper genua B. V.
5. Manus Chriſti.
6. Pedes Chriſti.
7. Vulnera Chriſti.
8. Tergum Chriſti.
9. Crux.
10. Crucis gloria.

I. VER-

I. VERBA B. V.

S. Brig. l. 2. c. 21.

QUinque cogitare debes, filia mea.

1. Quòd omnia membra filij mei in morte diriguerunt, & frigescebant, & sanguis, qui de vulneribus ejus in passione effluxit, membris adhæsit coagulatus.

2. Quod in corde punctus erat tam amarè & immisericorditer, quòd pungens non destitit, donec lancea attigit costam, & ambæ partes cordis essent in lancea.

3. Cogita, quomodo deponebatur de cruce.

Hi duo, qui deponebant eum de cruce, tres applicabant scalas; una protendebatur ad pedes, secunda subtus ascellas, & ad brachia, tertia ad medietatem corporis. Primus ascendit, & tenebat eum per medium: secundus ascendens per aliam scalam, excussit primò unum clavum de uno brachio: deinde applicatâ scalâ, excussit clavum alterius manûs: qui quidem clavi longè ultra stipitem crucis protendebantur. Descendente igitur illo, qui sustentabat onus corporis, paulatim & modicè, prout poterat, ille alius ascendit scalã, quæ tendebatur ad pedes, & excussit clavos pedibus: cúmq; appropinquaret ad terram, unus eorum tenuit corpus per caput, alius per pedes, ego verò, quæ Mater eram, tenui eum per medium. Et sic nos tres portavimus eum ad quandam petram, quæ linteo mundo per me operta erat, in qua obvoluimus corpus: sed non consui linteum, sciebam enim pro certo, quòd non in tumulo putresceret. Postea Maria Magdalena & aliæ Sanctæ Mulieres venerunt, nec non & Angeli Sancti multi, quasi atomi solis adfuerunt, obsequium exhibentes Creatori suo. Qualem autem tristitiam tunc temporis habui, non est qui valeat dicere: Eram enim sicut mulier pariens, cujus omnia membra post partum tremula sunt: quæ licet præ dolore vix respirare possit; tamen gaudet interius, quantùm potest, eò quòd scit, filium suum natum in eandem miseriam, de qua exivit, nunquam rediturum. Sic ego licèt ex morte filij mei eram incomparabiliter tristis, tamen quia scivi, filium meum non ampliùs moriturũ, sed in æternum victurum, gaudebã in anima mea: & sic cum tristitia mea quædam lætitia miscebatur.

II. DEPO-

II. DEPOSITIO.

Mirabatur Pilatus, quòd JESUS jam obijsset. O duras hominum mentes! ô pectora cæca! Jam septies obijsset, nisi Homo Deus fuisset. Nempe alijs miramur dolere plagas, quas nos eis inferimus. Cùm olim JESUS descendisset de monte, secutæ sunt eum turbæ multæ; nunc de cruce descendentem vix pauci. Mater cum Magdalena, Joannes cum Josepho & Nicodemo comitatum faciunt virorum & mulierum, in quo quæri possit & inveniri. Aliæ turbæ non adsunt. Ut periculum non sit, ne à turbis comprimatur. Ita JESUM non amant homines, nisi quia seipsos amant.

III. VERBA B. V.

S. Brig. l. 6. c. 57.

SCire etiam te volo, quòd à die (Præsentationis, quo dictum de gladio) dolor meus sextuplex fuit. Primò fuit in cognitiõe mea: nam quoties aspiciebam filium meum, quoties involuebam eum pannis, quoties videbam ejus manus & pedes, toties animus meus quasi novo dolore absorptus est: quia cogitabam, quomodo crucifigeretur. Secundò fuit dolor in auditu meo: nam quoties audivi opprobria filij mei, & mendacia & insidias ei positas, toties animus meus motus est dolore; ita quòd vix se tenere poterat. Sed virtute Dei dolor meus modum & honestatem habuit, ne impatientia & levitas in me notaretur. Tertiò fuit dolor meus in visu: nam quando vidi filium meum ligari & flagellari, & in ligno suspendi, corrui quasi exanimis: sed reassumpto Spiritu steti dolens, & sic patienter sufferens; ut nec inimici nec alij in me aliud reperirent, nisi gravitatem. Quartò fuit dolor meus in tactu: Ego enim cum alijs deposui filium meum de cruce, & involui eum, & posui in tumulum, & sic nunc augebatur dolor meus; ut vix manus & pedes mei haberent robur ad subsistendum. O quàm libenter tunc fuissem sepulta cum filio meo! Quintò patiebar ex vehementi desiderio perveniendi ad filium meũ;

postquam ipse ascendit in cælum: quia longa mora, quam habui in mundo post ascensionem ejus, dolorem meum augmentabat. Sextò patiebar dolorem ex tribulatione Apostolorum & amicorum DEI, quorum dolor erat dolor meus, timens semper & dolens: timens, ne succumberent tentationibus & tribulationibus; dolens, quia verba filij mei ubique habebant contradictionem.

L. 1. c. 10. Deinde depositus est de cruce, quem ego recepi in genua meum quasi leprosum, & totum lividum. Nam oculi ejus erant mortui & sanguine pleni. Os frigidum quasi nix, barba quasi restis, facies contracta; manus quoque sic diriguerant, quòd non possent deponi, nisi circa umbilicum. Sicut stetit in cruce, sic habui eum in genu, quasi hominem contractum in omnibus membris. Revelatio S. Brig. l. 7. c. 15. His autem expletis, cùm turbæ multæ recederent, deposuerunt Dominum quidam amici ejus, quem tunc pia Mater recepit inter sua brachia sanctissima, & reclinavit eum sedens in genu suum, totum vulneratum dilaceratum, & lividum: & tunc tersit mater ejus mœstissima cum linteo suo totum corpus ipsius & vulnera, clausitque ejus oculos, deosculando os, & involuit eum in sindone munda. Et sic duxerunt eum cum planctu, & dolore maximo, & posuerunt in sepulchro.

IV. CHRISTVS SVPER GENVA B. V.

ATtendite & videte, si est dolor, sicut dolor Matris dolorosæ. Cujus est obsecro hæc imago? vix ipsa mater novit. Caput Angelicis tremendum spiritibus, densitate spinarum vulneratum: facies pulchra præ filijs hominum, in quam desiderant Angeli prospicere, Judæorum sputis deturpata: oculi lucidiores sole, caligantes: os, quod Prophetas docuit, amarum à felle; pedes, quorum scabellum adorant homines, vulnerati: manus, unde divina liberalitas, rigidæ. Candet nudum pectus, rubet cruentum latus, tensa arent viscera, decora languent lumina, regia pallent ora, procera rigent brachia, crura pendent marmorea, rigat terebratos pedes beati sanguinis

nis unda. O gloriose Genitor! qui spectas gratissimæ prolis tuæ lacerata membra, memorare benignus, quæ mea sit substantia. Conspicare Dei hominis pœnam, & relaxa conditi hominis miseriam. Vide redemptionis supplicium, & redempti dimitte delictum. Hic est ille, in quo dolus non est inventus; & tamen cum impijs reputatus est.

Nova bella elegit: nam victus vincit; vulneratus vulnerat, hostes suos dormiens deprædatur, & per ludum ligatis manibus cum eis congreditur. Milites suos ad aquas passionis probat, ut Gedeon; & in frangenda lagena corporis primus est. Ejus sagittæ ex arcu crucis validissimæ, ardentes, acutæ, ejus sanguine litæ, ac in officina crucis temperatæ, fortissimè corda etiam ferrea transfigunt. Sapienti strategemate simulatâ pace gladium mundo intulit. Regnum à puero ambivit, quod hereditario sibi jure debebatur: nec aliâ quàm crucis viâ ad majestatem progredi, nec alibi Rex haberi voluit, quàm in cruce. Ecce olim convenerunt ad eum omnes, qui erant in angustia constituti; nunc oblivioni datus est, tanquam mortuus à corde: & si Matrem ac Joannem excipias, nec duos quidem in tanto numero repetias, qui congregati sint in nomine ejus, quorum in medio esse velit.

Si JESU mei patientis fuerunt multæ miseriæ; non tamen pauciores sunt ejus misericordiæ; ejus in sinu dum jacet, quæ est Mater misericordiæ. Plenus injurijs & plenus gratijs, in cujus sacratissimo cadavere ipsa ossa, quæ sola integra sunt, sic ad me loquuntur: ô homo! vide, quæ pro te patior. Non est dolor, sicut quo crucior. Ad te clamo, qui pro te morior. Vide pœnas, quibus afficior. Vide clavos, quibus confodior. Et cùm sit dolor tantus exterior; interior est planctus gravior, cùm te tam ingratum experior.

Da mihi, ô JESU! per gratiam, quod me docuisti per exemplum. & quia res transit cum onere suo, desiderando gratiam, non recuso pœnitentiam, quam sequatur veniæ indulgentia.

V. MANUS CHRISTI.

OPera manuum tuarum, Domine, ſtupenda & mirabilia! Formaveras heri non ſine Spiritu, qui ferebatur ſuper aquas, in pelui pedes Evangelizantium pacem, ipſe ſpecioſus præ filijs hominum; ut eſſent ſpecioſi pedes eorum, quos miſſurus eras. Non invenio, te manus tuas, cùm nobiſcum eſſes, extendiſſe unquam, niſi ad benedicendum, vel dandum. Nam ſi ſuſtuliſti ſuper panem, eum vel multiplicâſti, vel in corpus tuum mutâſti; utrumque in noſtrum cibum & vitam. Si poſuiſti ſuper infirmos, eos omnes ſanâſti. Scribendo in terra, ſalvâſti reos. Manum feminæ ſi tangis, vitam reddis. Utique etiam nunc aperuiſti manum tuam utramque, ut impleas omne animal benedictione. Feciſti olim his manibus de terra hominem; quia eas maculâſti, pœnituit te feciſſe hominem. Eundem refecturus, crucem petijſti, ut opus exiret de manibus tuis homo, non de terra terreſtris, ſed de cælo cæleſtis. Et ſine maculatis ſanguine manibus, hæc non feciſti. His manibus dabis olim benedictionem electis, & reprobis maledictionem; quia univerſorum Dominus es: & data tibi omnis poteſtas eſt, in cælo & in terra. Felices, quorum nomina his manibus ſcribuntur in cælis! Felices, pro quibus JESUS manus ſuas objecit, excepitque ictus è cælo in nos deſtinatos! hinc ego, mi JESU! in factis manuum tuarum meditabor. Felices, quibus JESUS totis manibus monſtrat viam ad cælum! his manibus operoſi Patris Filius ex arbore crucis bonos decerpſit fructus, unde vitam habeamus & abundantiùs habeamus, quàm patres noſtri. Has manus, cùm in crucis ſacrificio patrem oraret, pro nobis quoque peccatoribus extendit. O JESU! non eſt, qui de manu tua poſſit eruere, cujus tu nomen ſcripſiſti in libro vitæ. Benedices illi, & erit benedictus. Timerem quidem, ne propter peccata mea opprimeres me opus manuum tuarum: ſed quia tu cogitas cogitationes pacis, & non afflictionis, atque adeò aliæ ſunt cogitationes tuæ à cogitationibus hominum; longè facis iſtum timorem à me: imò docebis tu manus meas ad prœlium, & digitos meos ad bellum.

VI.

VI. PEDES CHRISTI.

NON contentus Pater, requirere à filio dentem pro dente, manum pro manu, oculum pro oculo, etiam requirit pedem pro pede. Figendi hi erant, ne timeret homo deserendum se à JESU, priusquam ipse eum desereret. Ambulabat JESUS & currebat per castella & oppida: & quandoque industrius Joseph quærendo fratres suos, & non inveniendo, sedit lassus sic supra fontem; nunquam tamen invenit in hoc mundi luto, ubi requiesceret pes ejus, nisi in arcâ crucis, verè columba. His pedibus torcular calcavit solus, qui nisi marmorei fuissent (quod Sponsa notavit) tanto labori non suffecissent, & fracti à militibus fuissent: præsertim cùm nec de Hebræis nec de Gentibus vir cum eo esset, qui in partem laboris veniret.

VII. VULNERA.

QUid agunt characteres mortis in libro vitæ? Tolle lege. Tolle lege, librum undique jam apertum, scriptúmque intus & foris. Tolle lege, Tolle lege, ô Virgo! ô Mater! Jam nostris vulneribus suavissimè consultum à Samaritano est, oleum ex Tiberis littore olim, nuper vinum in Cana: fascias, quas à Nicodemo accepit, servabit in nostros usus. Durum me & crudelem, qui peccatis meis dilatavi ejus vulnera, & infandum renovavi toties dolorem! quorum quinque in hodiernum usque diem nondum obduxerunt cicatricem, in fidei meæ augmentum, spei solatium & charitatis fervorem. Quot vulnera, tot ora, quibus pro nobis peroret apud Patrem Advocatus, qui nunquam non exauditur pro sua reverentia. Habeo non tantùm quinque civitates refugij, quibus judicis sententiam effugiam, sed & emporia, ubi minimè periculosa mercatura quinque talentis alia quinque lucrari possim. Habeo quinque fenestras, per quas cæli præmia, inferni pœnas, amorem tuum, ô JESU! meámque ingratitudinem prospiciam. Verè bonum est, nos hîc esse, in hac petræ caverna, in hac caverna maceriæ.

totum, qui in ea pependit, iterum concuties, eíque renovabis dolores, quos passus est. Cùm ipse unà cum cruce demitteretur in scrobem, cujus profunditas minor licèt fuerit profunditate cisternæ, in quam demissus est Joseph; fuit tamen dolor Christi major dolore Josephi.

Hæc est vitis illa trium propaginum restituti pincernæ; uva illa, quam vix duo brachia crucis sustinent; unde vinum exprimatur rubrum, geminans virgines, & gustum saporémque præbens terræ lacte & melle manantis. Virga illa thaumaturga, docta verti in serpentem, & reverti in virgam, didicit etiam devorare serpentes, quos arte diabolica fecerant ex virgis Magi. Et hæc crucis virga ab eo aliquid accepit, qui se vermem esse dixit, jam olim in æneo serpente præformatus. Quin etiam hæc crucis virga devorare didicit serpentes infernales super pectus suum gradientes; ita ut illi ab umbra crucis pereant, uti nostrates ab umbra fraxini.

Virga Moysis percussit petram, & fluxerunt aquæ, unde populus biberet per quadraginta annos. Virga crucis petram Calvariæ percussit, imò concussit, & aquam unà cum sanguine elicuit ex alia petra, quæ Christus erat; unde & jumenta seu peccatores (nam hos vocare venit) & justi, qui non indigebant pœnitentia, biberent, & de torrente voluptatis potarentur, non jam quadraginta annis, sed usque in finem sæculi. Hujus sacratissimæ crucis ligno aquæ tribulationis amaræ dulcorantur, cujus rei tot testes, quot martyres. Hinc vocatur dulce lignum.

Arsit rubus ille, quem vidit Moyses, nec tamen exarsit. Crux ecce ardens igne charitatis (quia qui ab ipsa pendet, & Deus, & ignis, & charitas est) & tamen non consumitur: necesse enim est, ut crucis hujus merita semper in conspectu Dei vivant.

Si JESUS meus botrus est è terra promissionis; crux pertica est & vectis. Si JESUS meus vitis vera est; crux vulnus est, unde pendeat. O anima mea: quæ hujus vitis palmes es, scito, quòd sicut palmes non potest ferre fructum à semetipso, nisi manserit in vite, ita nec tu, nisi manseris in eo, qui dignatur esse vitis, imò & vita tua.

Sepul-

Sepulchra regum Juda miror; sed sperno: ego enim mihi speluncam illam, in qua crux stetit, pro sepultura quadringentis siclis probatæ monetæ emam, faciámque speluncam duplicem, cujus formæ fuit Abrahami, in qua mea & meipsum sepeliam.

Posuit nonnemo Prophetarum securim ad radicem arboris, & ferro fugiente remansit securis manubrium in manu viri. Questus ille ferrum perijsse (nam in fundum usque aquæ descenderat) porrexit Elisæo manubrium ligneum, ad quod ferrum ascendit è fundo séque junxit, miraculo hodiéque mirando. Descendêre in terræ fundum & profundum tot Patres, & credi poterant perijsse, nisi admoto crucis manubrio, quod solum tot sæculis exspectabatur, è profundo hoc lacu virtute plùs quàm magnetica emersissent. Trahendorum ex aqua piscium amans JESUS, & assuetus, e jusdem statûs & operis sibi socios ascivit: quin & ipse olim in Jordanem descendens, demersum è fundo mundum plaudente cælo extraxit. Hæc illa est quercus Mambre, sub quam venire & requiescere non dedignantur volucres illæ cælestes, Angeli; quandoquidem nec tu, ô JESU! alter Isaac super hac lignorum strue ligari, & holocaustum fieri dedignatus es. Hæc est scala Jacob è terra in cælum usque pertingens: quis enim longitudinem crucis Christi metiatur? per quam nos Angeli in cælum ducant, ipso Angelorum Domino solicito & spectante. Gradus tot habet, quot JESUS meus gressus in via dolorosa crucis fecit; nec enim nos impetu ferri in cælum vult Martyrum ritu, sed ut in longa patientia animas nostras possideamus. Sic vincit in Martyribus JESUS, parcendo Confessoribus.

Dixisti, mi JESU! si habueritis fidem sicut granum sinapis, dicetis huic arbori moro: eradicare & transplantare in mare: & obediet vobis. Itaque, ô Domine mi! adauge mihi fidem, & dicam huic arbori moro, cruci tuæ sanguineæ: Eradicare ex infami Calvariæ loco, & transplantare in mare lachrimarum dulcissimarum cordis mei. Fac, ô JESU! ut obediat voci meæ, & fructum ferat: da voci tuæ virtutem.

Horologium universale mundus non habuit, priusquam poneretur

gno-

gnomon crucis, & omnium horarum dominus totis manibus totísque brachijs monstraret, adesse horam suam, quin & nostram: nam plurimi cor pro campana, pugnum pro malleo habebant, & percutiebant pectora sua; ut populis totius mundi tinnirent ambæ aures, & sonus hic exiret in omnem terram. Hoc stylo ligneo opus erat, ut mundus fieret astrolabium, omnémque cæli posituram nobis in planisphœrio Calvariæ repræsentaret.

Si JESUS meus virga Aaron est, si Manna est & Panis de cælo descendens; si lex est, & finis legis: si Maria & Ioannes Cherubini sunt: dicam crucem esse Arcam & Propitiatorium; &, quia non putrescit, de lignis settim. Ex hoc ligno crucis factum dicam baculum Davidis, quem Goliatho opposuit. Ex hoc ligno factum dicam Thronum veri Salomonis, in quo sedeat non terrena sed divina Sapientia, cujus Throni medium, charitate constratum sit à perito artifice. Sub hac quercu dicam sepultam jacere Synagogam, nutricem Ecclesiæ, ut sub illa olim quercu tumulum habuit Debbora nutrix Rebeccæ.

In hac cruce (nam aliam sive stateram sive bilancem Justitia Dei vel non habet, vel non adhibet) omnia peccata mundi appensa sunt, & inventus est mundus minùs habens, ad pondus sanctuarij JESU mei. Etiamnum legi potest tremendum illud: Mane, Thecel, Phares: Chirographum decreti, quod contra nos digito Dei scriptum est. Sed & adhuc, ut vides, ô anima mea! manus ejus extenta est, calamum retinens velociter scribentem, qui sint ejus: & ipse, qui scribit, stat post parietem, prospiciens per cancellos.

Nunquam mundus bilancem habuit, quâ libraret montes, nunquam stateram, qua pilorum capillorúmve pondus examinaret. Ideo credo magnatum scelera mundus punire non potest; verba otiosa & cogitatus inutiles non vult. Vult potéstque utrumque ponderare JESUS Judex & spirituum ponderator, non alia usurus bilance quàm illâ, quam jam dudum in manus dedit S. Michaëli, Cruce.

X. CRUCIS GLORIA.

QUòd si bella tibi placent, ô anima mea! ecce clypeum Josue, crucem JESU, quam contra rebellem Urbem & Orbem, sive Hai sive Hierusalem, sustulit felici triumpho. Ecce labarum, quod milites Christi sequuntur, & signum, in quo vincunt. Ecce gladium Ducis nostri JESU, cujus ô utinam essem dignus armiger! ecce arcum (arcus namque sunt brachia crucis) & arcum fortium. Et si nervum desideras, ecce JESUS meus hîc omnes nervos suos extendit. Hoc arcu jam tandem arcus fortium superatus est, quando etiã infirmi accincti sunt robore. Sed ubi jaculum est? ubi sagitta? Ecce anima! venisti jam ad locũ jaculi, ecce tibi sagitta, Jesus, portò ultra te: sequere, festina, ne steteris, collige sagittas, Jesum tuum, qui tibi unus pro omnibus est, quia omnibus omnia factus est. O anima mea! egrediamur in agrũ, sive cum Isaaco, ad meditandum magna crucis mysteria; sive cum JESU meo, qui dixit: Tollite jugum meum super vos: nam & verè jugum illud crux hæc est, quã onerati si laboremus, omnes ad eum venire possumus, ut reficiat nos. Et si bene aptetur, verè jugum suave est & onus leve.

Si te delectant, ô anima mea! Maritima: ecce mare sanguineum, mare rubrum, jam non septem ostijs, ut Nilus, sed infinitis penè cataractis influens. Si navim habes, malus non deerit, nec malo alligata antenna: pro his crux erit: carbasa pro velo emit Nicodemus: funes etiamnum sub cruce jacent; & si pro servis opus habes, etiam catenæ: quin & reliquorum ferramentorum copia sufficiens. Adest malleus, forceps, clavi plures, quàm vellem. Adstat jam in littore Maria, vera navis institoris. Et si nauclerum quæris, cui hæc navis commissa sit; ecce Joannem, cui Virgini JESUS Virginem commendavit. Nihil deest, quin, si velis, à littore solvas. Nam & panis adest de cælo descendens, & aqua saliens in vitam æternam; & thesaurus JESUS meus. Quid igitur est, quò minùs in procinctu sis, & cum eo è portu solvas, qui dixit: Iterum relinquo mundum & vado ad Patrem? Tunc tibi terræque urbésque recedent, & solum tibi in oculis

lis & mente cælum erit. Quòd si mille tibi hostes in via obvij sint, mille clypeos in cruce habes. Quin & officium maxillæ Asininæ crux faciet, cùm post mille Philistæos occisos, fesso, solatium fontis, imò torrentis exempto dente aperiet æternæ voluptatis.

Quòd si felici trajectu ad portum & portam cæli deveneris, non aliâ, quàm crucis anchorâ navim tuam sistes; nec aliud quæres retinaculum, quo navim alliges. Quin nec aliam pro cælesti portâ clavem desidera, quàm clavem David, cujus potestas super humerum JESU mei est, cui soli datum est aperire sic, ut nemo claudat; claudere sic, ut nemo aperiat. In cruce summa summarum est, ibi enim consummatum est totum. Prô quanti hæc consummatio stetit! nam non eâdem, qua homo factus est facilitate, etiam refectus est. Pomi dulcedine destructus, aceti acore & fellis amaritie restituendus erat.

STATIO VIII.

LOCVS VNCTIONIS.

PEtra hîc est subalba & ad viriditatem tendens, longa palmos octo & totidem uncias, lata palmos duos, uncias quinque, parùm prominet à cætero pavimento templi. Virgâ ferreâ elevatâ velut demisso cancello circumdatur, ne pedibus conculcetur. Ad petræ extremitates, sunt affixa duo candelabra, hinc inde. per aliquod spatium circa sanctam Petram sunt albi dolati lapides. Pendent supra ipsam octo lampades, quæ diu noctúque ardent. Distat à S. Sepulchro palmos octoginta, à loco crucis quadraginta circiter. In hac petra creditur JESUS unctus esse & præparatus ad sepulturam à B. V. & Joanne, à Nicodemo & Josepho, & fortè etiam à Magdalena & alijs. Priusquam hinc abeamus, cum Matre dolorosâ tria nobis consideranda sunt. 1. Verba B. V. 2. Unctio. 3. Sindon.

VERBA B. V.

S. Brig. l. 4. c. 70.

ALijs igitur recedentibus, ego recedere non potui: sed jam quasi consolata sum, quòd corpus ejus jam de cruce depositum contingere potui, & in sinum recipere, vulnera explorare & extergere sanguinem. Deinde os eius digiti mei clauserunt, & oculos pariter composui. Brachia verò rigentia flectere non potui, ut se supra pectus componerent, sed supra ventrem. Genua quoque extendi non potuerunt, sed eminebant, sicut in cruce obriguerunt. L. 1. c. 10. Postea posuerúnt illum in linteo mundo, & ego cum linteo mundo extersi vulnera ejus, & clausi oculos & os ejus, quæ in morte fuerunt aperta.

II. VNCTIO.

SPonsus sanguinum thalamum habiturus in tumulo, undequaque pretiosam mortem pretiosiorem facit unguentis, jamque Myrrhæ & Aloës mixturæ libris centum insumptis: ecce Mulier, quæ erat in civitate peccatrix, attulit alabastrum unguenti nardi pistici pretiosi, & stans retro secus pedes JESU cœpit rigare lachrimis plantas pedum ejus, & capillis capitis sui tergere: & osculabatur pedes ejus, & unguento ungebat: quod idem etiam antè fecerat in domo Pharisæi, præveniens tunc ungere corpus JESU in sepulturam. Vides, ô anima mea! hanc mulierem? mirare, quia cùm dilexerit multum, remissa sunt ei peccata multa: tibi autem minus remittitur, quia minùs diligis. Potes lætari: unctus enim JESUS oleo lætitiæ alium in finem non est, quàm ut mundum exhilararet; in quem totum, velut oleum effusum est nomen ejus.

III. SINDON.

BEnedicti vos à domino, qui fecistis misericordiam hanc vespillones felicissimi! Verè si duo ex vobis consenserint super terram,

de

de omni re quamcunque petierint (etiam à Pilato) fiet illis. Audax Josephi factum! qui de JESU cum Pilato locutus est: animúmque subministrante Mariâ Matre, non alios missurâ, sed ipsâ filium à Pilato petiturâ; nisi decrevisset nil debere Pilato, locum fortassis petituro à se in die Judicij meliorem in monte Oliveti, quàm ipse filio suo dedisset in monte Calvariæ. Obtento itaque corpore mercatus est sindonem Joseph, in qua velut in speculo & in ænigmate videri JESUS post hac posset; & quibus eum non daretur intueri in carne, liceret adorare depictum in sindone. In capite libri hujus, qui scriptus intus & foris est, scriptum est de JESU, qui ipse scriptor & auctor libri hujus est. Posthumum ejus opus est: vide ne spernas. Ex asbesto licèt hoc linum non sit, incombustibile tamen est, nec ignem timet: quemcunque rogum accenderis, Christo par non est, vel extincto. Memoriam mirabilium suorum habet hæc secunda editio, impressa in officinâ Typographicâ suâ, ubi torcular calcavit solus, cooperante Josepho. Ita nec mori, nec nasci, nec in præsepio nec in sepulchro reclinari, sine Josepho voluit. Dole anima mea! & lacrimas funde, cùm videris JESUM Panis sub specie, velut sindone munda involutum, sepeliri apud eos, quorum guttur sepulchrum patens est: & si fortè foris sint sepulchra dealbata; intus tamen sunt plena ossibus mortuorum.

STATIO IX.

SEPULCHRUM.

SAcratissimum è rupe excisum antrũ ita ab architectis accommodatum est, ut nunc stet sub rotunda Ecclesia, tholo suprà apertò, & ex triginta duabus cedrinis trabibus in conum coëunte. Extrà marmoreâ & aliquantùm inauratâ architecturâ pulchrè & pretiosè totum antrũ in formam sacelli ornatum est. Intus in duo velut antra, seu Cappellas, dividitur; quarum Prior à posteriore sola Sepulchri rupe sciungitur. Prioris Cappellæ ostium altum est palmos septem,

uncias octo; latum palmos tres, unciam unam. Crassities muri est palmorum quatuor, unciarum decem. In hac Cappella possunt assignari duæ partes. Prima, quæ proxima est ostio monumenti, éstque in modum fornicis. Secunda, quæ hanc immediatè sequitur, est formæ quadratæ. Primæ Partis longitudo ab ostio monumenti usque ad extremitatem Petræ Angeli (quam Angelus ab ostio removit, quæ est longa inferiùs palmos duos; lata palmos duos, unciam unam; superiùs lata palmum unum, uncias novem: rubra & dura) est palmorum quinque, unciarum septem; latitudo palmorum decem. Atque hæc fortè pars erat integrum vestibulum S. Sepulchri: cui altera à fidelibus fuit adiuncta, quæ est longa palmos sex, lata palmos undecim, & undecim uncias. Sic tota longitudo ab ostio ad ostium est palmorum septemdecim.

Altera Cappella, in qua & ipsum S. Sepulchrum, est longa palmos septem, uncias quinque, cum dimidia; lata palmos sex, uncias octo. Sepulchri sacri longitudo & latitudo formam arcæ habet, quæ commodè hominē capit. Nunc tecta est marmoreâ tabulâ: nec ipsum in Sepulchrum ampliùs prospectus patet. In Cappella S. Sepulchri ardent lampades quadraginta quatuor: quæ tantum calorem faciunt, ut etiam in hyeme homo vires præ calore perdat. In Cappella exteriore ardent lampades septemdecim. Ad S. Sepulchrum fiunt à P. Guardiano Equites S. Sepulchri. Priusquam hinc abeamus, cum Matre dolorosa tria nobis consideranda sunt.

1. Verba B. V.
2. Magdalena.
3. Sepulchrum.

I. VERBA B. V.

S. Brig. l. 1. c. 10.

DEindè deposuerunt eum in sepulchro. O quàm libenter tunc posita fuissem viva cum filio meo, si fuisset voluntas ejus! l. 2. c. 21. verè dicere possum, quòd sepulto filio meo quasi duo corda in uno sepulchro fuerint. Nunquid non dicitur, ubi est Thesaurus tuus, ibi est & cor tuum? sic in sepulchro filij mei semper cogitatio & cor meum versabatur.

II. MAGDA-

II. MAGDALENA.

HÆc præ alijs Mulier ad lachrimas nata est. Lachrimis lavat pedes JEEU, & capillis tergit, ligátque, defœcatiora sentiens gaudia lachrimarum, quàm gaudia lecti. Vix quisquam præter Magdalenam & epulonem pretium posuit lachrimis: hic extinguendo inferno toti, guttam unam affirmat suffecturam; illa lachrimis, velut aquâ odoratâ, è deliquio peccatorum revocata ad vitam, inter Thesauros reputat omnes guttas, eásque Deo soli dedicat. Lachrimis nil citiùs arescit, ubi fons lachrimarum deficit. Lingua amoris barbara est barbaris, nescientibus, quid sit amor. Amor seipso contentus est. Nullius operâ aut operibus opus habet, nec unquam otiosus est: semper enim operatur & quidem magna: quòd si magna operari desinat, amor non est. Amandi Deum modus est, amare sine modo. Ex ordine Charitatis crescunt fructus bonorum operum, & merita nostra; quæ cùm Deus coronat, munera sua coronat.

Magdalena in omnibus requiem quæsivit, & non invenit, nisi ad Christi pedes: ibi enim & Requiem invenit æternam, quæ in æternum non auferetur ab ea: quia & ipsa à pedibus Christi, unde hæc requies originem trahit, avelli non potest. Sive domi suæ in Bethania, sive domi alienæ Hierosolymis apud Pharisæum, sive ad crucem in Golgotha, sive ad Sepulchrum in caverna eam quæras; nunquam reperies, nisi ad pedes JESU vel jacentem vel sedentem. Scivit namque, quòd, qui appropinquat pedibus ejus, accipiat de doctrina ejus plùs, quàm si ad pedes cujusvis quantumvis docti Gamalielis erudiretur.

III. SEPVLCHRVM.

ECce requievit tandem Deus ab omni opere suo, quod patrârat. Pridie quàm moreretur, sepultus est jam in suis: & ne totus esset in potestate hostium, se apud amicos deposuit. Sub modio sepulchri posita nunc est lux mundi: lucet illa tamen in caliginoso loco Patrum, qui in limbo sunt. Et erit dies una, quæ nota est domino, non

Dies

Dies nec Nox, quando ponetur ſupra candelabrum, ut luceat omnibus, qui in domo Patris ſunt, quando ponetur ſupra candelabrum: ut luceat omnibus, qui in domo patris ſunt, quando lucerna erit Agnus. Erit hæc Dies, quam faciet dominus. Mortem, quam JESUS vincere potuit, declinare contempſit: Lapidem Sepulchri non admiſſurus, niſi mortem unà ſecum ſepultam voluiſſet, non ſecum ſurrecturam. Rex regum clauſo nunc ſuper ſe oſtio, ſolus terræ ſuæ mappam in lineo delineat navigaturis in altum perutili Geographia. Tumuli locus non eremus eſt, ſed hortus; in quo reperit, quod alio in horto amiſſum eſt.

Cœcorum interrogatio eſt, cur amentur, quæ pulchra ſunt: & quivis vigilans ſcire poteſt, quantum dormientibus teſtibus ſit credendum. Cuſtodiri JESUS non debebat, quia cùm adulator non eſſet, nec ſeductor erat: ſed neo poterat, qui per medium illorum toties ibat. Nunquam locutus eſt ſic Homo, nunquam mortuus eſt ſic Homo. Vide, Pilate, quis cuſtodiat ipſos cuſtodes. Fruſtra vigilat, qui cuſtodit hanc ſpeluncam duplicem, quando duo Angeli opponuntur tribus militibus; quibus, ſi milleni eſſent, ſufficeret unus. Quid facient hi Endymiones, cùm ſurrexerit ad judicandum Deus? & cùm quæſierit, quid reſpondebunt illi? Exurge, mi JESU! qui dormis, & exurge à mortuis. Exurge Deus & judica cauſam tuam. Surge Deus, & judica terram. Exurge Domine, adjuva nos, & redime nos propter nomen tuum.

Gaude, & lætare, ô anima mea! hæc dies boni nuncij eſt. Regina cæli lætare! quia quem meruiſti portare, reſurget. Ora pro me filium tuum, ut dignetur nomen ejus in libro vitæ ſcribere, qui dolores ejus, tuóſque, conatus eſt pro viribus deſcribere in hoc libro. Amen.

CONCLVSIO

VERBA B. V. S. Brig. l. 1. c. 27.

E*RGO quicunque eſt in mundo, conſideret, qualis eram in morte filij mei, & ſemper habeat præ oculis.*

ERRATA.



Errat	*Corrige*
fol. 17.	
525.	825.

FINIS.